SPECIMEN HISTORICUM INAUGURALE

DE

CLEONE DEMAGOGO.

TYPIS FRATRUM BELINFANTE.
Hagae Comitis.

SPECIMEN HISTORICUM INAUGURALE

DE

CLEONE DEMAGOGO,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GIDEONIS JANI VERDAM,

MATH. MAG. PHIL. NAT. DOCT., ET IN FAC. DISC. MATH. ET PHYS. PROF. ORDIN.

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

CHRISTIANUS IANUS DE LUSSANET DE LA SABLONIÈRE,

HAGANUS.

AD DIEM XXIX M. JUNII, A. MDCCCLII, HORA II—III.



HAGAE COMITIS,
APUD FRATRES BELINFANTE.

MDCCCLII.

PRAECEPTORIBUS

AC

FAUTORIBUS

SACRUM.

INTRODUCTIO.



Quod, studiis meis Academicis finem impositurus, de Cleonis Demagogi vita agere decrevi, cum aliae fuerunt causae, tum ea, quod fere omnia, quae eo pertineant ex purissimis ac saluberrimis fontibus haurienda esse vidi. Rerum enim quas in Republica administranda gesserit Cleo, summa et vero ratio intima tota fere cognoscenda est ex aequalium, summi Historici alterius, alterius Poëtae lepidissimi et simul, si rationem, qua in Republica versatus sit, spectes, gravissimi, scriptis. In quibus pertractandis id ante omnia agendum mihi esse censui, ut de una alterave, quam uterque tetigisset, re, quid inde confici posset, investigarem. Quae propterea praemonenda esse censui, quod persuasum mihi est, multa, quae in seriorum scriptis de Cleone commemorentur, me comperta non habere, qui praeter unam, (quam mihi perlustrandam dedit Promotor aestumatissimus, Vir Clar. J. Bake,) Kortuemii V. Clar. de Cleone dissertationem, (Philologische Beitrage

aus der Schweiz, von Bremi und Döderlein 1819.) quae neque absoluta est et in Reipublicae Atheniensium, Cleonis aetate, conditione depingenda fere tota versatur, vix quidquam notum habui ex iis, quae, a VV. DD. olim elaborata vel agitata, ei qui de Cleonis vita quaestiones vel dirimere vel novas proponere qnaerat, non sint ignoranda.

Hoc autem meum qualecunque opusculum jam perduxeram ad finem, cum auctor mihi fuit Vir Clarissimus Bake, ut Grotii viri Doctissimi opus, cui titulus History of Greece, quod antea nonnisi per censuram cognoveram, studiose evolverem, cum meo compararem labore, eumque ex illo, quantum opus esset, snpplerem aut etiam emendarem. Mox tamen intellexi me non posse Viri Docti de Cleone observationes in meum usum convertere, nisi totam dissertationem refingerem. Etenim Grote V. D. flagitare videtur, ut de Cleone secundum ipsius principia politica, ut ita dicam, judicium feratur, abjecta praejndicata illa opinione, qua Thucydidis et Aristophanis scripta nos imbuerunt, quos ambos a partium studio non fuisse vacuos, ideoque non sine magna cautione esse usurpandos simul probare conatur. At mihi non tam certo constare videtur, qnam ponit Grote V. D., Cleonem firma illa habuisse principia politica, qualia a nostris viris politicis exspectare licet.

Itaque haec qnaestio ante omnia solvenda esset illi, qui Grotii V. D. de Cleone sententiam in examen vocare vellet, quod a scriptore speciminis Academici non postulari potest.

Studii igitur, quo in Thucydidis et Aristophanis scriptis perlustrandis versatus sum, ea, quae scripsi, specimina potius habeantur velim, quam voluntatis indicia novi quid, vel etiam docti de argumento, graviore, ut vereor, quam quod recte a me tractari possit, in medium proferendi.

Superest ut gratum animum significem Praeceptoribus, Viris Clarissimis, quorum egregia institutione frui mihi contigit. In horum autem praeclarorum virorum laudibus praedicandis, si animo obsequi vellem, multus essem. At probe scio, tantos viros meo 'profecto praeconio facile carere posse; hoc tamen sciant nunquam fore ut illorum memoria ex animo meo evanescat.



CAPUT PRIMUM.



In Thucydidis opere Cleo non ante memoratur quam narratio pervenit ad quintum belli Peloponnesiaci annum, cujus anni aestivo tempore, Ol. 88, 1. h. e. 427. a. Chr. n., post mortem Periclis mense fere vicesimo, [1]) orationem coram populo habuit de Mytilenaeis, qui Atheniensibus nuper se dederant, *ὢν καὶ ἐς τὰ ἄλλα βιαιότατος τῶν πολιτῶν, τῷ τε δήμῳ παρὰ πολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατος* [2]). Ab illo igitur tempore certissima et uberrima de ejus vita documenta adsunt; inde initium erit ducendum, ubi de ejus in Republica administranda facinoribus judicium erit ferendum. Pauca vero praemittenda sunt de iis, quae de priore ejus vitae parte comperta habemus.

Nomen Cleonis VV. DD. testantur pluribus et Atheniensibus et aliis commune fuisse, de quibus disquisitionem instituere ideo minus utile duxi, quod nullum locum me invenire memini, ubi incertum videretur, utrum de nostro an de alio Cleone sermo esset. Patris nomen,

1) Thuc II, 65.

2) Thuc III, 36.

Cleaeneti, duobus Thucydidis locis commemoratur, III, 36, IV, 21; semel occurrit in Aristophanis Equitibus vs. 573:

Καὶ σρατηγὸς οὐδ 'ἂν εἵς
τῶν πρὸ τοῦ σίτησιν ᾔτησ' ἐρὸμενος Κλεαίνετον·

cujns loci leporem quisque sentiet, dummodo intelligat de Cleonis patre sermonem esse; scholiasta perinepta quaedam, nec sine dubitatione, ad locum explicandum affert, nostrum vero ad Eqq. vs. 44. Cleonymi filium esse tradit. De anno quo natus sit Cleo nihil constare videtur; illo vero, quo in Repnblica administranda versatus sit, tempore, nec admodum juvenem, nec aetate provectum eum fuisse, non est quod dubitem [1]).

Infimo loco natum enm esse, multi opinantur, quippe qui, teste Aristophane, coriis praeparandis ac vendendis vixerit. Videtur habuisse officinam servorum pelles subigentinm, quod, ut de patre tradit Scholiasta ad Eqq. vs. 44, ita de ipso Cleone colligere licet e variis Aristophanis locis, ex. gr. Eqq. vs. 315 sqq., 868, nec non c vs. 894 sqq.:

Τὸν καυλὸν οἶσθ' ἐκεῖνον
τοῦ σιλφίου τὸν ἄξιον γενόμενον.
'Επίτηδες οὗτος αὐτὸν ἔσπευδ' ἄξιον γενέσθαι.

nam quid coriario cum silphio sit, apparet ex loco Hermippi Comici apud Athen. I. 28, *ἐκ μὲν Κυρήνης καυλὸν καὶ δέρμα βόειον.* Hoc autem Comicorum jocis ansam dedisse

---

1) Ante Stratoclem, qui Ol. 88, 4. Archon fuit, cum Senatorio munere functum esse ex Eqq. vs. 774 constat: hoc igitur tempore triginta annis major fuit.

non mirum est; quid valuerit in loco, quem in Republica occupavit Cleo, constituendo, quaeri poterit, ubi de Demagogiae, quam exercuit, ratione sermo erit.

Per se incerta sunt ea, quae de ejus re familiari ab Aeliano Var. Hist. Lib. X, Cap. XVII e Critia traduntur: *ὁμοίως δὲ καὶ Κλέωνι* (ita enim pro vulgata *Κλέωνα* legendum videtur) *πρὸ τοῦ παρελθεῖν ἐπὶ τὰ κοινὰ μηδὲν τῶν οἰκείων ἐλεύθερον εἶναι*, ubi quid sit *ἐλεύθερον εἶναι* e Demosthenis loco contra Lacritum, pag. 930, ed. Reisk. confici poterit [1]).

Civem vero Atheniensem [2]) optimo jure, nec adeo e tenuioribus eum fuisse, inde suspiceris, quod Aristophanes neque originem servilem aut barbaram, neque vitia parentum ei exprobrat; nam quod Scholiastes ad Eqq. Paphlagonis, quam fert personam Cleo, vs. 2, *νεώνητον*, vs. 43, *τῇ προτέρᾳ νουμηνίᾳ* illuc refert, et in Vespp. vs. 62, ejus *δυσγένειαν* respici putat, nihili est.

Ante mortem Periclis eum rempublicam jam capessivisse, mox videbimus. Quantum vero ille auctoritate valuerit, qui, teste Thucydide, in civitate ad popularem rationem exacta quasi regnum obtinuerit, notum est, nec hujus

---

1) Nimirum debitis nullis gravatum. Cf. Gronovius ad l.l.

2) Cydathenaeus erat, Cf. Boeckh. Corp. Inscr. 215; Cleomedontem enim nostri filium esse patet ex Demosthenis Orat. in Boeotum de Dote, pag. 1016. *Κλεομέδοντι οὗ φασι τὸν πατέρα Κλέωνα, τῶν ὑμετέρων προγόνων στρατηγοῦντα, Λακεδαιμονίων πολλοὺς ἐν Πύλῳ ζῶντας λαβόντα μάλιστα πάντων ἐν τῇ πόλει εὐδοκιμῆσαι.* Cf. Aristoph. Vespp. vs. 895 *Ἐγράψατο κύων Κυδαθηναιεὺς Λάβητ' Αἰξωνέα* — et Schol. ad h. l.

loci esse videtur, ut de ejus in Republica gerenda partibus quaestio instituatur. Id vero pro certo sumere licet, propter Periclem neminem, illo vivente, certa auctoritate in Republica usum esse, nisi qui aut ad Periclis societatem accederet, quod de Metiocho, Menippo aliis a Plutarchi Reipubl. Gerend. Praecept. XV. accipimus, aut adversa ei factione niteretur, qualem Thucydidem Melesii fil. fuisse tradunt. Neutrum vero de Cleone statui potest, quum et Pericles, ut post illum Cleo, apud plebem plurimum valuerit, et Cleonem Periclis fuisse adversarium Hermippi verba apud Plutarch. Pericl. XXXIII, ostendant. Unde, quum obscuriora quaedam insint [1]), colligi tamen potest Cleonem in Periclem invectum esse, quod hic, quum praetor esset, verbis potius quam armis bellum gereret. Et factum igitur, quo pertineant verba poëtae, et ipsam, unde sumta sint, fabulam ad intervallum inter primam et alteram Peloponnesiorum in Atticam invasionem referenda esse arbitror, quo tempore Pericles, mox, altero belli Peleponnesiaci anno, ipse classis imperium gesturus, praeter unam in Megaridem expeditionem, anni a. Chr. n. 431 auctumnali tempore, omnia collegis suis gerenda reliquisset. Vix enim id probari posse credo, quod Plutarchus l. l. significare videtur, ad ipsum primae invasionis tempus et Periclis de agro Attico hostibus relinquendo consilium illa pertinere, quum et constet nullas hoc tempore conciones esse

1) Vs. 6. pro βρύχεις (βρυκεῖς) legendum videtur βρύκει. Ceterum quaenam sit sententia inde a vs. 4 non satis intelligo, et prope absum ut inter sextum et septimum, versum excidisse putem.

habitas [1]) et ipsum Cleonem, licet verissime dixerit Plutarchus l. l. *ἐπεφύετο δὲ καὶ Κλέων ἤδη διὰ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ὀργῆς τῶν πολιτῶν πορευόμενος ἐπὶ τὴν δημαγωγίαν*, vix Periclis de Athenarum urbe defendenda consilio adversatum esse, id vero petivisse probabile sit, ut Periclem aut populi gratia prorsus expelleret, aut ubi restitisset, in rebus potius bellicis quam in iis, quae domi gererentur, administrandis versari cogeret.

Ex his igitur de Cleonis, quas, Pericle vivente, in Republica obtinuerit partibus nihil constat, nisi Periclis eum adversarium exstitisse, quum in eo jam esset ille, ut populi, qua valuerit, gratiam amitteret. Eadem ratio est eorum, quae a nonnullis traduntur de Cleone, eum vel Anaxagorae, vel etiam Periclis, anno a. Chr. n. 430, accusatorem exstitisse [2]).

Quod si Periclem accusaverit, non opus tamen est ut credamus, propositum ei fuisse, ut populum ad alia, quam ea, quae ille indicasset, impelleret; videatur enim Thucydides, II, 65: *οἱ δὲ (Ἀθην.) δημοσίᾳ μὲν τοῖς λόγοις ἀνεπείθοντο κτέ .... οὐ μέντοι πρότερόν γε οἱ ξύμπαντες ἐπαύσαντο ἐν ὀργῇ ἔχοντες αὐτόν, πρὶν ἐζημίωσαν χρήμασιν.*

---

1) Cf. Thuc. II, 22 initio; Plutarch. Pericl. Cap. XXXIII.

2) Diogen. Laërt. II, 3, 9. *Σωτίων μὲν γάρ φησιν — ὑπὸ Κλέωνος αὐτὸν* (Anaxagoram scil.) *ἀσεβείας κριθῆναι .... Σάτυρος δ'ἐν τοῖς βίοις ὑπὸ Θουκυδίδου φησὶν εἰσαχθῆναι τὴν δίκην.* Sed vide Plut. Per. XXXII.

Id. XXXV. *Ἐπεγράφη δὲ τῇ δίκῃ* (adv. Pericl.) *κατήγορος, ὡς μὲν Ἰδομενεὺς λέγει, Κλέων, ὡς δὲ Θεόφραστος, Σιμίας·* (ita nomen scribendum esse in lectionibus suis docuit Clar. Cobet) *ὁ δὲ Ποντικὸς Ἡρακλείδης Λακρατίδαν εἴρηκεν.*

Nec probabile mihi videtur Cleoni quidquam esse tribuendum eorum, quae tradnntnr a Thucydide, II, 59. οἱ Ἀθηναῖοι τὸν μὲν Περικλέα ἐν αἰτίᾳ εἶχον ὡς πείσαντα σφᾶς πολεμεῖν, καὶ δι' ἐκεῖνον ταῖς ξυμφοραῖς περιπεπτωκότες, πρὸς δὲ τοὺς Λακεδαιμονίους ὥρμηντο ξυγχωρεῖν· καὶ πρέσβεις τινας πέμψαντες κτέ.; talia, ni fallor, in snum usum convertisset Aristophanes. Ubicnmqne vero recentiores in iis, quae de Periclis ac belli Peloponnesiaci temporibus alinnde nota snnt, Cleoni partes tribuant, eo attendendum mihi videtur, quod mos fere veterum fuerit, nt ad Cleonem ea referrent, qnae in scriptis ex ejus tempore superstitibus demagogum spectare viderentur [1]), cnjus rei, ut analogiam cernas in Aristophanis Pace, vs 43, sqq:

οὐκοῦν ἂν ἤδη τῶν θεατῶν τις λέγοι

. . . .

δοκέω μεν, ἐς Κλέωνα τοῦτ' αἰνίττεται;

memorabile exemplum exstat in iis, quae de Heraclidis Pontici opere ad nos pervenerunt. Nec tamen eo referatur velim id, quod de decreto contra Aeginetas, auctore Cleone, lato, quod jnre, ut mihi videtur, a nonnullis pro fabuloso habetur, tradere perhibent Aelianum Var. Hist. Lib. II. 9, ubi ea, quae scripta sunt, καὶ ταῦτα ἐψηφίσαντο, εἰσηγησαμένου Κλέωνος, τοῦ Κλεαινέτου, ad solum contra Mytilenaeos decretum pertinere videntnr.

Commemorandus praeterea videtur locus ex Aristophanis

1) Cum laude tamen Cleo memoratur a Demosthene in Boeotum de Dote, p. 1016.

Eqq. vs. 438, ubi Isiciarius ille Cleonem conviciis persequens, haec dicit:

Σὲ δ᾽ ἐκ Ποτιδαίας ἔχοντ᾽ εὖ οἶδα δέκα τάλαντα.

Ibi enim a poëta illa tangi, quae jure Cleoni objici posse viderentur, suspiceris ex Cleonis responso:

Τί δῆτα; βούλει τῶν ταλάντων ἓν λαβὼν σιωπᾶν;

Haec vero et incerta sunt, nec, si Potidaeae deditionem, quae, ut facta sit, fraudis suspicionem movere possit, respici quis putet, cum Thucydidis de hac re naratione II, 70 componi posse videntur: non enim inter Atheniensium praetores fuit Cleo.

Ut vero non apparet, vivente Pericle certa apud populum auctoritate usum esse Cleonem, ita ne post illius quidem mortem populi gratiam statim sibi conciliasse, quo Periclis quasi successor habendus esset, testatur locus ex Aristophanis Eqq. vs. 128 sqq. Commemorantur ibi, qui ante Cleonem reipublicae praefuerint, stuppae alter venditor, quem Eucratem fuisse docet fragmentum Aristophaneum in Scholio ad Eqq. vs. 254 servatum; alter ovium, quem, teste Scholiasta ad Eqq. vs. 132. Calliam alii, alii Lysiclem fuisse perhibebant. De Eucrate parum mihi constat: ex Aristoph. Eqq. vs. 253 sq.

καὶ γάρ οἶδε τὰς ὁδοὺς

ἅσπερ Εὐκράτης ἔφευγεν εὐθὺ τῶν κυρηβίων.

conjeceris forte eum, quum in jus vocatus ibique crimine absolutus esset, cum iis quae in Republica administranda sibi comparasset ad pristina negotia rediisse.

Callias iste quis fuerit, ignoro. Plura, nec illa a

nostro proposito aliena, de Lysicle comperta habemus.

Lysiclem, Atheniensium praetorem, quarto belli Peloponesiaci anno, hiemali tempore, ad pecunias a sociis exigendas cum classe profectum in Caria occisum esse Thucydides III. 19. tradit. Filium enm Abronichi fuisse, Kruegerus, nt ex VV. DD. ad Thucydidis locum annotatione cognovi, ex Herodoti Lib. VIII. 21, Thucyd. I. 91, nec, ut mihi quidem videtur injuria, colligit.

Aeschines Socraticus auctor est, Lysiclem *προβατοκάπηλον* ac demagogum, post Periclis mortem cum Aspasia vixisse, quae ex *ἀγεννοῦς καὶ ταπεινοῦ τὴν φύσιν* primum Atheniensium eum reddiderit [1]). Ejus cum Aspasia consuetudinem tangi arbitror Aristophanis loco, ubi una cum scortis a Cleone memoratur, Eqq. vs. 765:

βέλτιστος ἀνὴρ μετὰ Λυσικλέα καὶ Κύνναν καὶ Σαλαβακχώ.

Προβατοπώλην vero ubi dixerit Aristophanes rempublicam Atheniensinm aute Cleonem administrasse, Lysiclem Aspasiae amatorem cum voluisse, Aeschinis testimonium dubitare non sinit. Praetorem autem eundem fuisse ac demagogum, apparet ex eodem Aristophanis loco. Ubi enim Nicias vs. 183, quaerit: *καὶ τί τόνδε χρὴ παθεῖν;* Demosthenes, *Κρατεῖν*, inquit, *ἕως ἕτερος ἀνὴρ βδελυρώτερος αὐτοῦ γένοιτο, μετὰ δέ ταῦτ' ἀπόλλυται. Ἐπιγίγνεται γὰρ βυρσοπώλης ὁ*

---

1) Cf. Plutarch. Pericl. XXIV. Harpocrat. i. v. *Ἀσπασία*. Ceteros qui huc pertinent locos annotare inutile duxi.

Παφλαγών [1]). Inde colligere licet, mortem Lysiclis et Cleonis ad rempublicam accessum eodem tempore accidisse, quod, ut cum Thucydidis narratione eximie convenit, ita Cleonis demagogiae initium in extrema anni ante Chr. n. 428 parte ponendum esse [2]) ostendit. Lysiclem vero ingenio potius ac moribus quam genere ignobilem fuisse, ubi et munus quo functus sit, et probabilis de patre conjectura, et vero Aspasiae cum eo consuetudo postulare videantur, non video cur illud, quod ovium venditor dicatur, contrarium probare credamus [3]).

---

1) Non urgenda mihi videntur sqq. vs. 138:
τὸν προβατοπώλην ᾗν ἄρ' ἀπολέσθαι χρεὼν
ὑπὸ βυρσοπώλου.

2) Olymp. 88, 1.

3) Vix dubitari potest quin *προβατοκάπηλος* cum irrisione etiam is dici potuerit, qui quum ovium greges aleret, ut inde quam plurimum commodi caperet, illiberalius agere videretur. Quid vero sibi voluerit Scholiasta ad Eqq. 739. *νευροῤῥάφοις δέ φησι διὰ τὸν προβατοπώλην Λυσικλέα*, me non intelligere fateor.



CAPUT SECUNDUM.



Ad ea jam perveni, quae mihi proposita esse initio hujus opusculi significavi, ut quaenam in Republica administranda Cleonis fuerint partes, ex Thucydidis praesertim et Aristophanis scriptis colligerem. Quod ut recte fieri possit, verbo erit indicandum, tum quo fuerit animo erga Cleonem, tum quid de Republica, ubi ille eam capesseret, senserit uterque. Constat Thucydidem Periclis, ut rempublicam gesserit, admiratorem fuisse. Quod non ita acceptum velim, quasi popularem illam rationem, Atheniensium reipublicae inde a Solonis tempore adaptatam, a Pericle vero elaboratam iisque accommodatam, quae, quum ipsius tempore vel paullo ante civibus ejus contigissent, reipublicae fortunam quasi fulcire et vero totam continere viderentur, prae ceteris regiminum formis et ex rata sententia probaverit Thucydides. Quaestio vero, quae eo florente, una maxime agitata est, ad belli contra Peloponnesios gerendi necessitatem ac rationem pertinebat. Eam vero Periclis personam vidit et expressit Thucydides, ut illum, quod quaestionem istam ex uno rerum nexu dijudicasset, de via, quae ipsi ac civibus ingredienda

esset, nullum dubitasse, nec ullam, (scil. viam) quae ad salutem duceret, vidisse dixeris, praeter ea, quae de ratione, qua Peloponnesiorum ante bellum jussis respondendum, res Attica per bellum defendenda esset, populo suadentem eum videmus: maris enim imperium tenendum esse, nec, si illi recte studerent Athenienses, quidquam amplius desiderari, ut belli periculis tuti evaderent; ubi vero tenerent, non esse, quo bellum vitarent agrumque ab hostium invasionibus tnerentur [1]). Quae vera eum vidisse quin Thucydidis fuerit sententia dubitari vix potest, qui et in proöemio, qnod dicunt, si quid in Graecia potentiae cxstitisset, maritimis fere illud copiis tribuat, quibus olim studuerint civitates (exemplo sint ea, qnae scripsit I. 15: *ἰσχὺν δε περιεποιήσαντο ὅμως οὐκ ἐλαχίστην οἱ προσσχόντες αὐτοῖς (τοῖς ναυτικοῖς), χρημάτων τε προσοδῳ κτέ.*), et metum, quem Lacedaemoniis injecerit Atheniensium imperium, veram fuisse causam cur bellum Peloponnesiacum motum sit dicat I. 23, 88, et Periclem de belli eventu ac periculis recte judicasse remque Atheniensium, qnae illo praesertim gerente in majus creverit, vel firmiorem fuisse, quam ille opinatus esset, eventum comprobasse, testetur II. 65: *ὅσον τε γὰρ χρόνον προὔστη τῆς πόλεως ἐν τῇ εἰρήνῃ, (Περικλῆς) μετρίως ἐξηγεῖτο καὶ ἀσφαλῶς διεφύλαξεν αὐτήν, καὶ ἐγένετο ἐπ᾽ ἐκείνου μεγίστη· ἐπεί τε ὁ πόλεμος κατέστη, ὁ δὲ φαίνεται καὶ ἐν τούτῳ προγνοὺς τὴν δύναμιν κτέ ....Τοσοῦτον τῷ Περικλεῖ ἐπερίσσευσε τότε, ἀφ᾽ ὧν*

1) Ex prima ac tertia praesertim quas finxit Thucydides, Periclis Orationibus ista colligo.

αὐτὸς προέγνω, καὶ πάνυ ἂν ῥαδίως περιγενέσθαι τῶν Πελοποννησίων αὐτῶν τῷ πολέμῳ.

Ubi autem Periclis de externis Atheniensium civitatis rebus consilia probavit Thucydides, dubitari nequit, quin rationem quoque popularem, ut esset et Athenis una valeret, acceperit, quae, ut semper arctissimo necessitatis vinculo cum maritimis Graecorum studiis conjunctam eam fuisse inter omnes constare credo, ita egregie a Pericle iis adaptata fuerit necesse est, quae ad maris imperium Atheniensibus servandum et in civium usum convertendum accommodata essent, ubi cives vel agros moresque paternos, ne loco, quem in Graecia propter maris imperium tenerent, vel ulla ex parte expelli viderentur, deserere libere decreverint. Nec in Republica Atheniensium post mortem Periclis nova exstiterunt, nisi quod ille auctoritate, ingenio, fide, unus in Republica valebat, ii vero, qui post eum venerunt, quum inter se pares fere essent, primumque in civitate locum quisque peteret, in omnibus sibi prospicere, ac populi simul libidini quocumque modo indulgere coacti fuerunt. Quae ita a Thucydide l.l. exponuntur ac suis quaeque causis tribuuntur, ut pateat, eo judice, praeter illa vix quidquam fieri potuisse; unde jure quis suspicetur, de singulis, quae male ac ipsorum causa gesserint ii, qui post Periclem reipublicae administrandae praeërant, de Demosthenis, si exemplis opus est, in Aetoliam, Hippocratis in Boeötiam expeditionibus, judicium non ita severum eum ferre. Quin res ita enarrare valet summus Historicus, ut singula fere ex ipsis, quae tradantur, factis, non ex

scriptoris verbis dijudicanda sint. Ab illa autem consuetudine aliquanto discedit Thucydides, ubicunque fere Cleonis res gestae ei tangendae sunt; primo, ubi memoratur loco, jam dicitur *βιαιότατος τῶν πολιτῶν* III 36; paci adversatus esse traditur, *γενομένης ἡσυχίας καταφανέστερος νομίζων ἂν εἶναι κακουργῶν καὶ ἀπιστότερος διαβάλλων*, V. 16; ejusdem generis plura invenientur in iis, quae de ejus ad Pylum et Amphipolin rebus gestis narrantur. Ejusmodi ista sunt, ut scriptorem non tantum ea quae gesserit Cleo, enarrare, verum etiam de industria ejus pravitatem notare dicas; nec mirum est, suspicatos esse nonnullos, quorum unum esse video Meierum, V. D. [1]) Cleone auctore, *προδοσίας γραφὴν* in illum institutam esse et a judicibus damnatum exsilii poena affectum esse reum [2]). An vero de

---

1) Cf. ejus Libell. de Bon. Damnat. pag. 179.

2) Thucydidis post Amphipolin captam exsilium non fuisse voluntarium, quod nonnullos censere video, colligo ex Thuc. V. 26, *γενομένῳ παρ' ἀμφοτέροις τοῖς πράγμασι, καὶ οὐχ ἧσσον τοῖς Πελοποννησίων διὰ τὴν φυγήν.* Hoc et Cicero affirmat in Libr. II de Oratore Cap. 13, ubi eum a republica remotum in exsilium pulsum esse dicit. Quae Schol. ad Arist. Vespp. vs. 947, hac de re refert, turbata sunt; hic enim Thucydidem Historicum cum Thucydido Melesii filio, Periclis in republ. adversario confundit. De Cleonis in decreto de illo exsilio ferendo partibus duo afferuntur loci ex vita Thucydidis, quae, quum e diversorum scriptorum fragmentis conflata esse videatur VV. DD., uni Marcellino tribui solet, § 26, *ἔγραφε δ' οὐδ' οὕτω μνησικακῶν τοῖς Ἀθηναίοις, ἀλλὰ φιλαλήθης ὢν καὶ τὰ ἤθη μέτριος, εἴ γε οὔτε Κλέων παρ' αὐτῷ οὔτε Βρασίδας ὁ τῆς συμφορᾶς αἴτιος ἀπέλαυσε λοιδορίας;* § 46: *ἐφυγαδεύθη ὑπ' Ἀθηναίων, διαβάλλοντος αὐτὸν τοῦ Κλέωνος, διὸ καὶ ἀπεχθάνεται τῷ Κλέωνι καὶ ὡς μεμηνότα αὐτὸν εἰσάγει πανταχοῦ.* Ex altero vero num colligi possit Thucydidis Cleonem fuisse accusatorem, valde dubito; alterum, quominus conjecturam potius scriptoris quam factum, quod invenerit, continere credamus, nihil, ut mihi quidem videtur, impedit.

ejusmodi causa iniquius de Cleone judicium ferre Thucydidem, ex ejus narratione colligendum sit, mihi non liquet, quum ceteros ejusdem generis Demagogos, quos ex Aristophane novimus, Hyperbolum (*μοχθηρὸν ἄνθρωπον*, Thuc. VIII. 73,) aliosque vix unquam memoret.

Aristophani, quum omnia fere ei, quippe Comico, ut risum moveret carpenda essent, multa tamen illaque ad intimam reipublicae rationem pertinentia, vere displicuisse ejus fabulae docent. Ubi in rem judiciariam Atheniensium, in Sycophantas, in Demagagorum pravitatem, in populi, qui speciosis ipsorum consiliis et calumniis se decipi pateretur, dementiam invehitur, vix ullum dubium est, quin vitia tangat, quibus, ut erat respublica Atheniensium, frustra quis remedia quaesivisset; constat vero mala ista in pejus ruisse per bellum, quod agricolas in urbem migrare coëgerit, plebem igitur egenam ac turbulentam ibi auxerit, animos denique civium suspicione impleverit ac demagogorum calumniis magis magisque adstrinxerit, quae ipse depinxit poëta in Pace vs. 632. sqq.:

Κᾆτα δ'ὡς ἐκ τῶν ἀγρῶν ξυνῆλθεν οὐργάτης λεώς, κτέ.

Quare nemini mirum accidet, pacis illum in fabulis fautorem ac suasorem exstitisse: de belli initiis ejusque auctore, quem dicit, Pericle, odiosa ac ridicula quaedam profert, quae, ut jure quis miretur historiae scriptores suis operibus illa inseruisse, refutare non est hujus loci; irridet belli ducibus, quibus alibi nec ipse meritas laudes denegat; ruris, quas amiserint cives, delicias praedicat. Nec tamen ideo in eorum numerum referre eum opus est, qui in

tertia, quam finxit Thucydides, Periclis oratione notantur ac refelluntur, ubi de Atheniensium *ἀρχῇ: ἧς οὐδ᾽ ἐκστῆναι ἔτι ὑμῖν ἔστιν, εἴ τις καὶ τόδε ἐν τῷ παρόντι δεδιὼς ἀπραγμοσύνῃ ἀνδραγαθίζεται; ὡς τυραννίδα γὰρ ἔχετε αὐτήν*, (Thuc. II. 63).

Ut enim populus Periclis quidem consilia sequi decrevit, Aristophanis tamen ea, quae de pace praedicavit, non sine voluptate audivit, nihil impedit quominus et poëtam in istis quidem sibi placuisse, sensisse tamen credamus, non satis ea sibi constare, ut inde ea peti possent, quae reipublicae salutem ferrent. Ubi vel populi dementiam perstringit, saepe sollicitum eum deprehendimus ne cives offendat, nec ullum fere novi locum, ubi certa reipublicae gerendae praecepta det, praeter Ranarum illum vs. 686 sqq.:

Τὸν ἱερὸν χορὸν δίκαιόν ἐστι χρηστὰ τῇ πόλει
ξυμπαραινεῖν καὶ διδάσκειν κτέ.

multa, quae veram poëtae sententiam de iis, quae in salutem reipublicae moliendα essent, continere quis credat, (exemplo sint laetissima illa ac splendidissima de populo regenerato, versus finem Equitum), pro uberrimi potius ingenii figmentis habenda sunt. Ut vero de civium, in urbana per bellum vita, artibus multa improbavit, ideoque pacem commendare non desiit, vix aliter fieri potuit, quin vel maxime odisset Cleonem, quem et pacis adversarium et eorum fere, unde praesertim Aristophanis in bellum crevit odium, quasi auctorem fuisse mox videbimus.

Aliae mox inter Aristophanem et Cleonem irae exstiterunt.

Anno enim a. Chr. n. 426, h. e. Ol. 88, 2. Dionysiis urbanis, fabulam, Babylonias nomine, docuerat poëta, auctore Callistrato [1]).

Perstrinxit ibi, teste Scholiasta ad Acharn. vs. 378, et alia et Cleonem; quod tam aegre tulit hic, ut eum, qui fabulam docuerat, coram senatu accusaret, quod rempublicam laesisset [2]). Callistratusne an Aristophanes fuerit is, cui istam litem intenderit Cleo, mihi non liquet. Illud quidem, ut alia non desint argumenta, ideo praesertim probem [3]), quod neque in ceteris fabulis, si quid vidi, eam memoret Aristophanes, et in Acharnensibus, quae, anni ante Chr. n. 425 Lenaeorum festo, Callistrato item auctore, acta est fabula, multaque de illa lite continet (vs. 377 sqq., 502 sqq., 630 sqq.,) ubi poëta de se loquatur, Callistratum significari colligas ex scholio ad vs. 654: *οὐδεὶς ἰςόρηκεν ὡς ἐν Αἰγίνῃ κέκτηταί τι Ἀριςοφάνης, ἀλλ' ἔοικε ταῦτα περὶ Καλλιστράτου λέγεσθαι, ὃς κεκληρούχηκεν ἐν τῇ Αἰγίνῃ μετὰ τὴν ἀνάςασιν Αἰγινητῶν ὑπ Ἀθηναίων*, cujus certe non minor videtur esse auctoritas quam eorum, quae, ut contrarium probetur, ex iis, quae de Aristophanis vita scripta sunt, afferri possunt. Res tamen dubia manet, quod ex Eqq. 512 sqq., *ἃ δὲ θαυμάζειν κτἑ.* constare

1) Quod constat Suidae testimonio in v. *Σαμίων ὁ δῆμος: τοὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου Ἀριστοφάνης ἔτεσι πρὸ τοῦ Εὐκλείδου κδ'* (sic correxit Clintonus in Fastis Hellen., vulgo *καὶ* legitur) *ἐπὶ Εὐκλέους.*

2) Ut testatur ipse poëta in Parabas. Acharnensium vs. 631: *ὡς κωμῳδεῖ τὴν πόλιν ὑμῶν καὶ τον δῆμον καθυβρίζει.*

3) Contrariam sententiam amplectitur Meinek. V. D. Cf. Fragm. Com. Graec. Vol. II, Pars II, pag. 932 sqq.

videtur, multos notum habuisse, quis fabulas illas per Callistratum doctas scripsisset. Id vero tenendum est, litem illam poëtae coram senatu, per *εἰσαγγελίαν* ut videtur, a Cleone intentatam nihil commune habuisse cum *ξενίας* ista *γραφῇ*, de qua jam agendum mihi erit. Quum enim anno a. Chr. n. 425, aestivo tempore, auctor exstitisset Cleo, ut pacis, a Lacedaemoniis oblatae, conditiones a populo rejicerentur, mox, secunda fortuna adjutus, res, quae Pylo gerebantur, Atheniensibus vindicasset, summaque apud populum valeret auctoritate, Aristophanes primum suo nomine, anno post actos Acharnenses, [1]) Equitum fabulam, totam in Cleonem acerrime scriptam, in scenam misit, [2]) quae et palmam tulit, et primum obtinuit locum inter ea, quae contra Cleonem egit poëta. In fabulis enim, quas, illo vivente, post Equites in scenam protulit, Nubibus ac Vespis, quibus adjunge Pacem, aliquot post ejus mortem mensibus actam, tangitur quidem Cleo, nec tamen nisi paucis locis et sine certo illo, quod in Equitibus conspicitur, consilio. Quod nonnullos pactioni tribuisse, quam cum Cleone metuens iniisset poëta, ipsius verba docent Vespp. vs. 1284 sqq.:

Εἰσί τινες οἵ μ' ἔλεγον ὡς καταδιηλλάγην κτέ.

---

1) Cf. Equitum Didascalia: *Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ Στρατοκλέους ἄρχοντος δημοσίᾳ εἰς Λήναια δι' αὐτοῦ Ἀριστοφάνους καὶ πρῶτος ἐνίκα κτλ.*

2) Notum est in fabula illa Cleonis neque nomen occurrere, neque ausos esse eos, qui illa curabant, personam ad ejus imaginem fingere; Cf. Eqq. 230 sqq. *ὑπὸ τοῦ δέους γὰρ αὐτὸν οὐδεὶς ἤθελε τῶν σκευοποιῶν εἰκάσαι.* Ex hoc male intellecto loco, ea orta esse suspiceris, quae in scholiis et iis, quae de vita Aristophanis scripta sunt, de ipse poëta, facie minio tincta, Cleonis partes agente, traduntur.

Cleonis, quae ibi memorantur, molestiae pertinere videntur ad *ξενίας γραφήν*, a Scholiastis ac vitae Aristophanis scriptoribus cum priore illa, post actos Babylonios, accusatione confusam [1]). Id quod hoc loco legitur vs. 1290: *ταῦτα κατιδὼν ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα*, satis componi potest cum narratiuncula ista de versu Homerico [2]) a poëta coram judicibus recitato, dummodo *σκωμμάτιον* illud, uti memorat vs. 1289, jocos in Cleonem, quos exspectassent praesentes, significare voluerit, id vero, quod est *ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα* ad ea pertineat, quibus judicum risum, ut eorum animos demulceret, movere conatus sit. Ipse autem Aristophanes et ex iis, quae in Cleonem scripserit, audaciae laudem sibi petit, Vespp. vs. 1029 sqq.:

Οὐδ'ὅτε πρῶτόν γ'ἦρξε διδάσκειν, ἀνθρώποις φησ' ἐπιθέσθαι κτλ.

. . . .

τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὔ φησιν δείσας καταδωροδοκῆσαι
ἀλλ'ὑπὲρ ὑμῶν ἔτι καὶ νυνὶ πολεμεῖ

---

1) Ut Schol. ad Acharn. vs. 378, *ξενίας*, quam memorat, *γραφὴν* ad priorem accusationem, ita Scholiasta ad Vesp. 1284, hanc refert ad ea, quae ipsi explicanda erant; inde vero, quod ne ea quidem intellexit, unde sua hausit, mirum illud commentum explicandum est, quod ibi legitur, *ἐψηφίσατο γὰρ ὁ Κλέων μηκέτι δεῖν κωμῳδίας ἐπὶ τῷ θεάτρῳ εἰςάγεσθαι, ὅτι δὴ ξένων παρόντων πολίτας ἔσκωπτον.*

Tertiam accusationem a Cleone contra Aristophanem latam esse colligas fortasse ex Gramm., qui vitam conscripsit, verbis: *δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγεν.*

2) Hom. Odyss. A. 215, sq.

et cur post Equites actos minus acriter in eum invectus sit, causam significat Nubb. vs. 549 sqq.:

ὃς μέγιστον ὄντα Κλέων᾽ ἔπαισ᾽ εἰς τὴν γαστέρα
κοὐκ ἐτόλμησ᾽ αὖθις ἐπεμπηδῆσαι αὐτῷ κειμένῳ [1]).

---

1) In sola ea, qua nos utimur, Nubium editione ea lecta fuisse, post mortem igitur Cleonis scripta, constat. Cetera vero, quae de Cleone ibi leguntur vs. 581—594, scribi non potuisse nisi vivo Cleone apparet, itaque in prioribus Nubibus jam lecta esse, quae, (teste nota Didascalica: *αἱ πρῶται Νεφέλαι ἐν ἄστει ἐδιδάχθησαν ἐπὶ ἄρχοντος Ἰσάρχου*,) anno ante Chr. n. 423, Dionysiis urbanis, actae sunt.



CAPUT TERTIUM.



Post ea, quae dixi, non opus esse videtur ut explicem, cur in illo temporis puncto, quo Equites in scenam missi sunt, consistendum censuerim, ubi Cleonem depingerem rem publicam gerentem, gratia apud populum valentem, aequalium inde judicio vel maxime obnoxium; praemittendam vero esse brevissimam duxi mentionem eorum, quae, ab illo inde tempore, quo in Republica versari coeperit Cleo, de rebus, quas gesserit, in rerum Graecarum contextu suis quaeque locis commemorantur.

De populiscito anni 427 a. Chr. n. aestivo tempore a Cleone contra Mytilenaeos lato, Thucydidis narrationem indicare sufficit [1]); neminem enim ea morari credo, quae Scholiasta ad Luciani Timon. Csp. XXX. tradit [2]), quod scilicet ipse Cleo, Mytilenseorum donis corruptus, mutati

1) III. 36, sqq.

2) Cujus haec sunt verba: *τῆς δὲ νυκτὸς ἐπιούσης, ἐλθόντων ὡς αὐτὸν (Κλέωνα) τῶν ἐπιδημούντων Ἀθήνησι Λεσβίων καὶ δέκα ταλάντοις αὐτὸν ἀργυρίου μετελθόντων, μεταπεῖσαι πάλιν τὸν δῆμον.*

Mirum accidit, quod Kortuemius Vir Clar. hunc locum in suum usum converterit, spreto diserto Thucydidis testimonio.

Atheniensium consilii fuerit auctor. In errorem inductus esse videtur Aristophanis loco, in Equitibus vs. 832 sqq., ubi isiciarius in Cleonem invectus:

Καὶ σ' ἐπιδείξω, inquit,
δωροδοκήσαντ' ἐκ Μυτιλήνης
πλεῖν ἢ μνᾶς τετταράκοντα.

quem vero, absurda fingentem, poëtam de industria induxisse vel ex Chori, quae sequitur, allocutione colligi posse arbitror. In fontibus autem quibus usus sit Scholiasta ille, quem ex Thucydide sua se hausisse profitentem vix satis mirari possum, rem ample et omnibus numeris absolute conscriptam fuisse, ex Cleonis ad Mytilenaeos epistolae mentione apparet. Scholion ad Aristophanis, quem indicavi, locum et emendatione indiget, nec, si vel textum in integrum restituissent VV. DD., magni esset momenti.

Quod unum praeterea monendum esse videtur, ex ipsa Cleonis apud Thucydidem oratione persuasum mihi est, non violatas esse leges, quod de eadem re bis in suffragium populum miserint ii, quibus illa agenda erant. [1]) Ubi enim tale quid respici quis putet III, 37: *πάντων δὲ δεινότατον, εἰ βέβαιον μηδὲν ἡμῖν καθεστήξει ὧν ἂν δόξῃ πέρι, μηδὲ γνωσόμεθα ὅτι χείροσι νόμοις ἀκινήτοις χρωμένη πόλις κρείσσων ἐστὶν ἢ καλῶς ἔχουσιν ἀκύροις*,

---

1) *Οἱ ἐν τέλει*, hoc loco, decem *στρατηγοὶ* esse videntur: penes hos enim convocandi populi in concionem jus erat belli tempore, si quid subiti accidisset, de quo extra ordinem cum populo agi oporteret, quum Prytanes contra in pace et ordinarias conciones convocabant. Cf. Thuc. II, 59: *ξύλλογον ποιήσας (ὁ Περικλῆς) — ἔτι δ' ἐστρατήγει.*

ultimis verbis rei potius, quae non ita multis demonstrari posset, cum iis, quae a populo actum iri metuebat, analogiam quaerere, quam horum rationem exponere Cleonem, vel ex iis apparet, quae sequentis capitis initio dicuntur, *Θαυμάζω μὲν τῶν προθέντων αὖθις περὶ Μυτιληναίων λέγειν καὶ χρόνου διατριβὴν ἐμποιησάντων, ὅ ἐστι πρὸς τῶν ἠδικηκότων μᾶλλον*, ubi praesentis facti nihil nisi consilium inopportunum reprehendi videmus; tota etiam, (quae Arnoldi a Poppone ad hunc locum laudata sunt verba), oratio Cleonis multo violentior et minacior futura fuisset, si prytanes vel praetores legem violassent, convocata iterum ad poenam Mytilenaeorum leniendam concione. Nec apte conferuntur ea, quae a Nicia dicta fingit Thucydides VI, 14: *καὶ σύ, ὦ πρύτανι κτέ.;* nam concionem, ubi illa acta sunt, fuisse *περὶ παρασκευῆς ... καθ' ὅ τι χρὴ ἐς Σικελίαν ἐκπλεῖν*, ipse Nicias affirmat VI, 9. — Alterum mox a Cleone perlatum esse populiscitum, quod supplicio affici jusserit primos Mytilenaeorum defectionis auctores, quorum numerus mille paulo excederet, Thucydides tradit, III, 50.

Ea, quae de reliqua ejus vita usque ad annum ante Chr. n. 425 ex Aristophanis praesertim fabulis colligi possunt, quum nonnulla vel ad certa tempora referri posse videantur, minus tamen ad rerum Graecarum contextum pertinere ideoque melius tractari posse videntur, ubi de ejus Demagogia agendum erit. Hujus vero anni aestivo tempore factum est, ut belli quasi momento primas fere in Graecia partes ageret subitoque gratiae apud cives fastigium attingeret

Cleo; quare de iis, quae tunc temporis gesta sunt, pauca quaedam in medium proferenda esse videntur.

Lacedaemonii, primis belli Peloponnesiaci annis, rem ita fere gesserant, ut statis temporibus agrum Atticum vastarent, de ceteris, quae belli initio a se gestum iri decreverant, alia prorsus non, alia ita aggrederentur, ut nihil inde proficerent. Athenienses, altero belli anno, pestis eruptione afflicti, frustra per legatos a Lacedaemoniis pacem impetrare conati sunt, deinde, Periclis de bello gerendo sententiam rursus amplexi, in iis, quae extra illius consilium gesta sunt, saepius vel parum prospera usi sunt fortuna, ut in Lachetis contra Syracusanos expeditione, vel clades etiam passi, ut in iis, quae Demosthenes contra Aetolos molitus est; ubi vero in re sua defendenda ac servanda versati sunt, vix unquam offenderunt. Atheniensium igitur res, ut populus eam mente ceperat, non ferebat ut ipsi pacem peterent, nec video cur de illa aut quidquam coram populo actum, aut eorum animis obversatum esse credamus, qui illo tempore rempublicam gerebant. Monui jam non opus esse mihi videri, ut talia colligamus ex Aristophanis illis, quibus in Acharnensibus pacis commoda praedicantem bellique suscepti consilium reprehendentem Dicaeopolin fingit. Facile vero futurum poterat videri, ut Lacedaemonii, quos jam fefellisset spes, qua bellum susceperant, fore ut paucis annis Athenienses prorsus devicti essent, ubi gravius quid iis accidisset, ultro pacem Atheniensibus offerrent.

Ad eum finem Lacedaemone legatos Athenas profectos esse, versus mediam aestatem anni a. Chr. n. 425, quum

Atheniensium classis magnam Spartanorum aliorumque Lacedaemoniorum manum in insula Sphacteria inclusam teneret, ex Thncydidis narratione notum est; eodem spectare probabile est (nam pro certo affirmare non ausim, propter ea quae apud Thucydidem IV, 41 leguntur) isiciarii in Aristophanis Eqq. verba, vs. 794 sq.: *Ἀρχεπτολέμου δὲ φέροντος τὴν εἰρήνην ἐξεσκέδασας*, ubi Archeptolemi nomen principis legationis fuisse multi opinantur; potins tamen Hippodami filium Atheniensem, ex Quadringentorum historia notissimum, significari credo, cujus auxilio in pace componenda, ut Niciae postea et Lachetis, usi sint Lacedaemonii; nam et populo nomen Lacedamonii illins ita innotuisse, nt Aristophanis verba quisqne intellexisset, si illum voluisset, parum mihi probabile esse videtur, et Archeptolemi ejus, quem volo, anctoritati Cleonis impndentiam nocuisse constat ex Eqq. vs. 322 sqq.

Ἆρα δῆτ' οὐκ ἀπ' ἀρχῆς ἐδήλους ἀναί-
δειαν, ἥπερ μόνη προστατεῖ ῥητόρων;
ἧ σὺ πιστεύων ἀμέλγεις τῶν ξένων τοὺς καρπίμους,
πρῶτος ὤν· ὁ δ' Ἱπποδάμου λείβεται θεώμενος.

Quae si quis Plutarchi testimonio infirmari credat, (Nic. VII) unde Niciam in illa quoque pace componenda primas partes egisse collegerit, vereor ut rationem teneat, qua ista adhibenda sint.

Ex Thucydidis narratione colligi neqnit, certaene pacis conditiones a Lacedaemoniis sint propositae; id vero pro certo statui potest, eam rerum fuisse conditionem, ut rationes illae, quarum alterutra nulli fere non paci adaptari

posset, ut paciscentes ea retinerent, quae aut bello incunte habuissent aut pacis tempore haberent utrique, multo facilius a Lacedaemoniis et Atheniensibus componi et in mediam quasi viam flecti potuissent, quam eo tempore, quo Niciae quae dicitur, pax conciliata est; utrique enim belligerantium potentia magis erant intacta, quod neque sibi invicem multa eripuerant, neque de viribus, quibus utrique bellum inierant, defectione vel dissolutione perdiderant. Quae nisi perspexisse Cleonem, pacem vero omnibus viribus repellere voluisse statuas, vix intelligi poterunt ea, quae et de illorum, qui in insula inclusi erant deditione et de Nisaea, Pegis, Troezene, Achaja Atheniensibus reddendis cavenda esse populo persuasit.

Haec enim si reddenda curassent Lacedaemonii, Atheniensium dominationem auxissent simul ac firmassent, idque ita, ut praesertim contra Peloponnesios in posterum libere illis agere liceret; quod quin Lacedaemonios universis sociis invisos reddidisset, dubitari vix potest. Ut autem redderent opus erat, ut sociorum alios sua cedere cogerent, aliorum certa commoda laederent; Nisaea enim et Pegae Megarensium erant, Troezenii Lacedaemoniorum societati adscripti, Achaja denique et Pegis Atheniensium imperio subjectis, Corinthii ne sperare quidem poterant, fore ut a sinu Crisaeo marique Ionio vel quidquam commodi perciperent. Nemo autem credere poterat ea Lacedaemonios concessuros esse, quibus Atheniensium vires firmarent, sociorum odium, arma utique, provocarent, nisi de imperio quodam Graeciae quis cogitaret, quod constituendum et bipartito

inter se dividendum esse, Lacedaemoniorum et Atheniensium communis sententia esset. Fierine illa potuerint necne, mihi nunc non quaerendum esse videtur; id vero certum est, nequaquam illa a Cleonis aequalibus absurda esse habita, quum et post ea, quae, anno 421 ante Chr.n., inter se gessissent Lacedaemonii et Athenienses, multi tale quid eos moliri crediderint [1]) et ipsius orationis, quam a Lacedaemoniorum legatis, propter eos, qui in Sphacteria erant, pacem petentibus, habitam fingit Thucydides, eo spectare videantur ultima verba [2]). Cleonem vero quominus ista voluisse statuamus vel illud prohibet, quod Spartanos illos captivorum instar Athenas duci postulavit, quo Lacedaemoniorum in Graecia auctoritatem vel maxime imminutum iri, ut postea apparuit, illo jam tempore pro certo haberi poterat. Vel cuivis paci inimicum fuisse Cleonem, manifestius etiam fit ex iis, quae mox ut responderentur Lacedaemoniis, de rebus absque populo agendis petentibus, effecisse narratur a Thucydide, [3]) neque dubito quin illis praesertim tribuendim sit, quod, ubi paulo post pacis non acceptae populum poeniteret, contraxerit *ὑποψίαν* illam *περὶ τῆς κωλύμης τῆς ξυμβάσεως* (IV, 27), quam ut solveret, ea molitus est, quae si fides Thucydidis narrationi,

1) Teste Thucydide V, 29: *τοῦτο γὰρ τὸ γράμμα μάλιϛα τὴν Πελοπόννησον διεθορύβει καὶ ἐς ὑποψίαν καθίϛη μὴ μετὰ Ἀθηναίων σφᾶς βούλωνται Λακεδαιμόνιοι δουλώσασθαι.*

2) IV, 20. *ἡμῶν γὰρ καὶ ὑμῶν ταὐτὰ λεγόντων, τό γε ἄλλο Ἑλληνικὸν ἴϛε ὅτι ὑποδεέϛερον ὂν τὰ μέγιϛα τιμήσει.*

3) Vid. IV, 22: *Κλέων δὲ ἐνταῦθα δὴ κτλ.*

eum fere invitum ad summos in republica honores evexerunt [1]).

De illa autem narratione id unum animadvertendum habeo, quod Demosthenis potius quam Cleonis in Sphacteriae expugnatione primas partes fuisse confirmat Aristophanes in Eqq. passim, inprimis vero vs. 54 sqq., ubi Demosthenes de Cleone:

Καὶ πρώην γ' ἐμοῦ
μᾶζαν μεμαχότος ἐν Πύλῳ Λακωνικὴν,
πανουργότατά πως περιδραμὼν ὑφαρπάσας
αὐτὸς παρέθηκε τὴν ὑπ' ἐμοῦ μεμαγμένην.

De quaestione enim, quam ad illa movere quis possit, de Cleonis *στρατηγίᾳ* locoque eo pertinente ex Aristophanis Nubb. vs. 581—594, in sequentibus melius actum iri censui. Populum Atheniensem tantum captivorum [2]) Lacedaemoniorum numerum magni esse in suis rebus momenti merito duxisse, facile quis videat, dummodo reputet ea, quae de ejus timore, quum Sphacteriae oppugnatio diutius trahi videretur [3]), de iis quae postea Lacedaemonii ad pacem impetrandam moliti sint, de decreto, quo agrum Atticum

---

1) Ea, quae Diodorus ultima a Lacedaemoniorum legatis petita ac dicta esse tradit XII, 63, neque cum Thucydidis de illis narratione, neque etiam cum iis facile quis componat, quae de Lacedaemoniorum erga captivos crudelitate traduntur Thuc. II, 67, in fine.

2) Circiter trecenti in insula vivi capti sunt, quorum centum et viginti Spartiatae erant (Thuc. IV, 38).

3) Vid. IV, 27: *πάντων δὲ ἐφοβοῦντο μάλιστα τοὺς Λακεδαιμονίους, ὅτι ἔχοντάς τι ἰσχυρὸν αὐτοὺς ἐνόμιζον οὐκέτι σφίσιν ἐπικηρυκεύεσθαι.*

ab hostium invasione tutum reddiderint Athenienses, traduntur a Thucydide [1]).

Nec mirum videbitur commoda, quae inde perceperint, ad Cleonem retulisse auctorem Athenienses, qui, quidquid aliorum ope fecerit, suo tamen stetit promisso, fore ut intra viginti dies Lacedaemonios ex insula captivos duceret Athenas; iniquius certe Aristophanis dictum est in eum, Eqq. 792 sqq.:

...ὃς τοῦτον (τὸν δῆμον scil.) ὁρῶν οἰκοῦντ' ἐν ταῖς φιδάκναισι
καὶ γυπαρίοις καὶ πυργιδίοις ἔτος ὄγδοον οὐκ ἐλεαίρεις,
ἀλλὰ καθείρξας αὐτὸν βλίττεις.

Cleonis enim operae tribui poterat quod eo tempore, quo Equites acti sunt, non opus esse videbatur, ut de ulla amplius Peloponnesiorum invasione anxii essent Athenienses, reique illum eventum eum praevidisse, ubi pacem repellendam curasset, quum vix credas, non tamen veri prorsus dissimile fuisse fatendum est. Honorum, quos propter Sphacteriam expugnatam tulit Cleo, προεδρίαν memorat Aristophanes Eqq. 702; utrum eodem tempore an prius etiam victus in Prytaneo ei decretus sit, dubium videtur.

1) Cf. IV, 41.



CAPUT QUARTUM.



De ratione, qua Cleo rempublicam gesserit, populo praefuerit, ex iis, quae de responsis, illo auctore Lacedaemoniorum legationi datis, exposui, colligitur eum fuisse Cleonem, qui paci componendae omnibus viribus adversaretur. Qno factum est, ut reliquae disputationis initium inde potissimum ducere, et ante omnia quaerere statuerim, quaenam praesertim in Atheniensium rebus per bellum fuerint mutata.

Primum locum obtinet id, quo cetera fere referri posse videntur, quod Athenienses qui rure degerent, bello instante in urbem migrare coacti sunt. Pericles consilii fuit auctor, nec ulla in re, quantum apud cives valeret, magis apparuit. Dudum vero rerum, quae in Graecia agerentnr, eventum illum prospexisse, et per totam, quam gesserit, reipublicae administrationem, populi moderationem, eo eum tendisse, ut civium animos iis accommodaret, quae, ubi brevi bellum adfuturum sensit, ne Atheniensium res tota rueret, necessaria fore intellexit, non est quod dubites. Huc enim referenda sunt ea, unde civitatis illa ratio, qua παίδευσις

τῆς Ἑλλάδος dici poterat, libere et absolute existere posset, mercedem dico, quae ob varia negotia publica civibus ut daretur auctor fuit Pericles; omnia porro illa, quae ut civium animi a laboribus recrearentur, urbis decus augeretur, ipsa bonis undique terrarum advectis afflueret, aut instituenda curavit, aut reipublicae, ut ab eo gesta est, tulit conditio. Quae magni momenti fuisse patet, ubi Athenienses in eam sententiam impellendi essent, ut maris imperium tenerent prae iis quae solum ferebat; etenim illi, quod et aliis de causis Atheniensibus vix licuit dimittere, commoda illa debebantur, quae rursus valebant efficere, ut facilius ferrent ea, quae, ne maris imperium cedere sortisve arbitrio permittere cogerentur, ferenda illis erant.

Migrationem tamen illam et vitae mutationem multos graviter tulisse, proinde ac si patria illis relinquenda esset, et, ubi hostes agrum vastarent, civium animos in Periclem exacerbatos fuisse, Thucydidis testimono constat.

Nec parum crevit reipublicae perturbatio, quum pestis in Attica grassari inciperet; prope aberat ut bellum desereret populus, quod cavit quidem Pericles, ipse tamen civium iram expertus est; multum praeterea gravissimum illud malum valuit in Atheniensium moribus ab eo deflectendis, quod bonum et aequum habebatur, [1]) nec tantum singuli suae potius libidini quam legibus obsequebantur sed et publica disciplina mirum in modum relaxata est. Mox vero,

1) Cf. Thuc. II, 53: *πρῶτόν τε ἦρξε καὶ ἐς τἆλλα τῇ πόλει ἐπὶ πλέον ἀνομίας τὸ νόσημα κτλ.*

quam amiserat dignitatem recuperavit Pericles, et si forte diutius ille vixisset, donec vel pacem componere (per se enim bellum ei non placuisse, cujus sententia ferret, Atheniensium imperium per bellum non esse augendum, nemo dubitet) vel turbis quae in Republica exstiterant, auctoritate sua et consilio mederi civesque novis moribus, quibus utendum illis erat, assuefacere potuisset, moris publici ista depravatio ut existeret non futurum fuisset, quae illius de bello gerendo consiliis ac reipublicae moderationi tribui solet.

Jam videamus de iis, quibus post mortem Periclis summam rerum cedere reipublicae conditio ferebat. Populum ille liberum eumque, qui prae ceteris omnibus, ipso Pericle favente, reipublicae studeret, libere moderatus est; non potuit igitur quin, illo vivente, omnibus iis, qui vel in certis reipublicae partibus administrandis excellerent, vel apud cives gratia et auctoritate valere cuperent, ad rempublicam aditus pateret. Multa ipsum quoque Periclem per alios egisse Plutarchus tradit [1]). Unde patet, non tantum auctoritate apud universum populum eum valuisse, sed certae etiam gregi cum praefuisse eorum, qui in Republica ab ejus parte starent. Quod si ita factum est, eos quoque, qui diversa potius sequerentur, alios aliis societatibus quasi adscriptos fuisse, dubitari nequit. Apparet igitur, Pericle diem obeunte supremum, Athenis nec eos, qui reipublicae gerendae operam darent, nec fere certam partium, quo singuli pertinerent, descriptionem defuisse.

1) Reipubl. gerend. praecept. XV; Vit. Pericl. VII.

Non tamen illa ad plebem pertinere censenda est, penes quam comitia erant; ibi ut certa quis valeret auctoritate, ne firmissima quidem auxilia eorum, qui in republica versabantur, sola efficere poterant. Quod illi, ubi successu tumere, malis frangi videbatur, frenum adhibere, animum addere valuit Pericles, ingenio ejus et moribus tribuendum est, summae quippe eloquentiae viri quique et consilio ac dignitate ceteros antecellebat, et summa integritate erat. Quibus si quis carebat, summum vero in civitate locum appetebat, illi eo fere confugiendum erat, ut plebi adularetur ejusque libidini quantum posset indulgeret, unde gratiam potius, quaeque illa dabat commoda, quam veram ac certam auctoritatem capi posse apparet. Ex iis vero, qui cum Pericle in Republica versati sint, neminem eo fuisse ingenio, ut dignus esset qui in illius locum succederet, vel inde patet, quod auctoritate nemo cum eo contendi potuerat. Belli porro tempore bellicae virtutes maximi haberi solent; Niciae apud cives auctoritatem inde exstitisse, significatur a Thucydide V. 16. [1]) Rerum vero primis belli Peloponnesiaci annis gestarum historia

---

1) *Τότε δὲ (οἱ ἐν) ἑκατέρᾳ τῇ πόλει σπεύδοντες τὰ μάλιστα τὴν ἡγεμονίαν, Πλειστοάναξ τε ὁ Παυσανίου, βασιλεὺς Λακεδαιμονίων, καὶ Νικίας ὁ Νικηράτου, πλεῖστα τῶν τότε εὖ φερόμενος ἐν στρατηγίαις, πολλῷ δὴ μᾶλλον προεθυμοῦντο κτλ.* Ita locum constituit Poppo, qui *οἱ ἐν* recte quidem textui inserere videtur, perperam vero defendere *ἡγεμονίαν*, (optime illud a Dindorfio in *ὁμολογίαν* mutatum), *quia scilicet audacior et minus necessaria Dindorfii conjectura est*, at, si vulgata lectio retineatur, quo referas illud *πολλῷ δὴ μᾶλλον προεθυμοῦντο*, non habeas. Id vero, quod dicit Thucydides *πλεῖστα τῶν τότε κτέ* ideo dixisse censendus est, quod inde explicetur, quaenam esset illa Niciae auctoritas, ut is esset, qui prae ceteris pacis suasor existeret.

illorum, qui Atheniensium exercitibus praeërant, peritiae quidem multa specimina, ingenii vero illius, quo pulchri ac novi quid effecerint, vix ullum continet.

De Nicia vero, ubi eum memoravi, pauca addam, neque illa a meo proposito aliena. Kortuemius V. Cl., Optimatum eum factioni praefuisse sibi persuasit, quae statim post mortem Periclis civitatis imperium capessiverit; nec forte deërunt qui tale quid colligant e Plutarchi verbis Nic. II: *Περικλέους δ᾽ἀποθανόντος, εὐθὺς εἰς τὸ πρωτεύειν προήχθη, μάλιστα μὲν ὑπὸ τῶν πλουσίων καὶ γνωρίμων, ἀντίταγμα ποιουμένων αὐτὸν πρὸς τὴν Κλέωνος βδελυρίαν καὶ τόλμαν.* Quae veritati vix congrua esse, vel Cleonis mentio arguit, quod vero majoris momenti est, Niciae, quam Plutarchus conscripsit, vita praeter cetera ejus scripta argumento esse videtur, cum in historia tractanda multa quidem undique testimonia congerere, ubi vero illa adhiberet narrationi magis consulere solitum esse, ut contexte elaborata illa, persona vero quam depingeret, absoluta esse videretur, quam curare ut suum cuique locum tribueret. Quid haec sibi velint melius intelligetur uno alteroque exemplo proposito. Notissimus est locus Thucydidis V. 26, *ἀεὶ γὰρ ἔγωγε μέμνημαι καὶ ἀρχομένου τοῦ πολέμου καὶ μέχρι οὗ ἐτελεύτησε, προφερόμενον ὑπὸ πολλῶν ὅτι τρὶς ἐννέα ἔτη δέοι γενέσθαι αὐτόν.* Vide autem quomodo utatur illo Plutarchus, ut pacis, quae Niciae dicitur, historiam illustret Nic. Cap. IX: *λοιδοροῦντες οὖν καὶ προβαλλόμενοι τοὺς λέγοντας, ὡς τρὶς ἐννέα ἔτη διαπολεμηθῆναι πέπρωται τὸν πόλεμον, ἔπειθ᾽ οὕτω περὶ*

παντὸς εἰς λόγους συμβάλλοντες, ἐποιήσαντο τὴν εἰρήνην. Porro attendendum est ad locum Thucydidis V. 16: Νικίας μὲν βουλόμενος... τῷ μέλλοντι χρόνῳ καταλιπεῖν ὄνομα ὡς οὐδὲν σφήλας τὴν πόλιν διεγένετο· unde non dubito quin illud hauserit Plutarchus quod scripsit et exemplis deinde illustravit Nic. Cap. VI: πολλῶν γὰρ τότε προσκρουσμάτων τῇ πόλει καὶ μεγάλων γενομένων, οὐδενὸς ἁπλῶς ἐκεῖνος μέτεσχεν. Neque illud vitio ei vertendum est, quamquam in Calliade et Nisaeae expugnatione memorandis lapsus est [1]). Pergit vero enarrare ea, quae anno ante Chr. n. 425 gesta sunt, Cleoni, in belli duces propter ea quae Pyli gerebantur, acrius invecto imperium cessisse Niciam; καὶ τοῦτο, inquit Cap. VIII, τῷ Νικίᾳ μεγάλην ἤνεγκεν ἀδοξίαν. Haec autem narratio quibus vitiis laboret, indicare vix opus est.

Etenim exempla ista ab Aristophanis fabulis petita, quibus id, quod de Niciae ἀδοξίᾳ scripsit, confirmare studet, nihili esse nemo non videt; et ea quae contra Peloponnesios optime gessit Nicias, ad proxima post Sphacteriae expugnationem tempora pertinent. Scilicet id sibi proposuisse videtur Plutarchus, ut Niciae et Cleonis de reipublicae moderatione certamen depingeret, quod ut facillime ac sine narrationis damno fieret, subsistendum fere ei erat in eo temporis puncto, quod quasi certaminis momentum contineret. Ejusmodi quid Sphacteriae expugnationi inesse Plutarchi, opinor, sententia fuit; quum vero Cleo inde victor

1) Cf. Thuc. I, 61; IV, 66—70.

excessisse videretur, ut certaminis ratio facile exponi posset, ea, quae Nicias civibus per bellum praestitisset, commoda ad priora tempora, certaminis initia eo fere referri oportebat, ubi primum collocari possent. Quod si quis tenet, non dubito quin illi parvi pretii videantur ea, quae de Nicia, statim post mortem Periclis, ad summum in republica locum evecto narrat Plutarchus. Neque ad ejus rationem confirmandam id, quod tradit bonis suis ad populi gratiam captandam usum esse Niciam, si vel verissimum sit, quidquam valere arbitror.

Neque ea, quae de populi primis belli Peloponnesiaci annis conditione traduntur, istam de optimatum factione sententiam probare videntur. In comitiis distingui fere poterant agricolae et plebs urbana, illos ab optimatum fere partibus stare, ubi horum in comitiis partes essent, statuendum videtur, nec illud fugit Plutarchum vit. l. cap. IX. *τοὺς μεν οὖν εὐπόρους καὶ πρεσβυτέρους καὶ τῶν γεωργῶν τὸ πλῆθος αὐτόθεν εἰρηνικὸν εἶχον.* Quum vero eos, qui rure degerant, bellum a pristinis negotiis prorsus avellisset, fieri vix potuit quin ea quoque sensim desererent, quae in republica secuti erant. Neque enim primo belli Peloponnesiaci tempore ad pacem componendam quidquam valebant optimates, et id, quod antea agricolis cum illis commune fuisse statui potest, ut servandis praesertim rebus suis operam darent, Peloponnesiis agrum Atticum quotannis vastantibus nihil ad hos pertinebat, quare propter vitae mutationem novarum rerum vel studiosiores esse debebant, quam ii qui vitae urbanae assueti erant.

Huc pertinet locus, qui ad propositum meum assequendum maximi momenti est, Aristoph. Pac. vs. 632—648:

Κᾶτα δ'ὡς ἐκ τῶν ἀγρῶν ξυνῆλθεν οὑργάτης λεὼς κτλ.

Depingit ibi poëta civitatis, quae belli initio erat, conditionem, agricolarum plebem egenam ideoque pendentem ex ore eorum, qui publice verba facerent; hos vero paci adversantes et calumniis urbem implentes, quibus ipsi opes quaererent, in omnibus istis Cleonem primas partes agentem. Memorantur quidem hoc loco eae tantum calumniae, quibus peregrinos vexaverit ille, quod quomodo factum sit mox videbimus; iisdem vero usum eum esse contra eos, qui rempublicam tenerent, ubi ille ad eam accessit, vel ejusdem poëtae verba docent, quae personato Demostheni tribuit, Eqq. 63, sq.

τοὺς γὰρ ἔνδον ἄντικρυς,
ψευδῆ διαβάλλει.

Quaenam autem probabilis sit ratio eorum, quae de Cleonis istis calumniis universe tradantur, verbo mihi indicandum videtur.

Sumtus, qui in bellum faciendi essent, ejusmodi fuisse, ut neque reditus civitatis Atheniensium sufficerent, et facile quis statuere posset, fore ut intra paucos annos ipsa ea consumta essent quae Pericles collegisset, inde luculenter apparet quod, quarto jam belli anno, extraordinarium tributum civibus impositum est. Accessit ut civibus pauperioribus, qui antea ex agro victum cepissent, nunc fere ad aerarium confugiendum esset, sive stipendia mererent, sive domi publica negotia gererent. Hoc igitur praesertim

agendum erat iis, qui reipublicae praeësse studebant, ut pecuniam quam plurimam in aerarium conferendam curarent. Pericles aerarii administrandi quasi viam iis indicasse censendus est, quibus, post ejus mortem, respublica cessit. His vero eadem molientibus cum molestiis longe majoribus conflictandum fuisse, facile intelligitur. Etenim carebant auctoritate, qua civibus ea quae peterent, denegare, quae necessaria ac ferenda viderentur, injungere valuerat ille; carebant ingenio, quo, quid quavis in re faciendum esset, cernere potuerat; carebant arte qua ille rempublicam administraverat, alii, alii fama integritatis. Singulis igitur summum in civitate locum petentibus, quippe gratia et auctoritate inter se fere paribus, eo tendendum erat, ut iis, quae praesto essent, populum sibi conciliarent, eosque, qui ex adversa parte sua molirentur, a republica removerent. Certamina autem ista vel cuivis certantium nocuisse, singulorum famam detrimenta inde cepisse, saepeque rem, dum arte magis quam ingenio gereretur, ad leviora ac putidiora delapsam esse, omnem igitur cohortem eorum, qui post Periclis mortem rempublicam tenuissent, multorum invidiam et contemtum subiisse, vix in dubium vocari potest. Quicunque igitur opportune toti isti cohorti adversarius exstitisset eamque calumniis, quod rem suam cum populi damno gessisset, quasi obrueret, ille summam apud populum gratiam sibi vindicaret necesse erat, dummodo nova et ea, quae majora viderentur, populi libidini praestaret. Hac via Cleonem in republica progressum esse, propter ea, quae de illo

memoriae maudata sunt, nullus dubito. Quod si recte vidi, certissimum est bello opus fuisse Cleoni, ne cives, rure otium agentes, turbis istis ac incommodis vacarent, quibus, iu eos qui rempublicam gerebant exacerbati, calumniatoribus magis obuoxii erant,[1]) in omuibus vero quae vel male agerentur connivebant, dummodo inde commodi quid percipere sibi viderentur. Uude patet, sententiam meam certe aliquatenus confirmari Thucydidis auctoritate, de cujus sententia V. 16: Cleo paci adversatus sit, *γενομένης ἡσυχίας καταφανέστερος νομίζων ἂν εἶναι κακουργῶν καὶ ἀπιστότερος διαβάλλων·* quibuscum prorsus conveniunt Aristophanea illa Eqq. 801. sqq., ubi Cleoni isiciarius, ideo, tu bello, inquit, faves

ἵνα.... ὁ δῆμος
ὑπὸ τοῦ πολέμου καὶ τῆς ὁμίχλης ἃ πανουργεῖς μὴ καθορᾷ σου
ἀλλ'ὑπ' ἀνάγκης ἅμα καὶ χρείας καὶ μισθοῦ πρός σε κεχήνῃ.

Quod si is fuit Cleo, quem paci adversarium exstitisse ferebant, ue suis artibus uti nou posset, nou mirum videbitur, passim ei in Aristophanis fabulis objici, quod in Republica capesseuda id sibi proposuisset, ut rem snam familiarem cum civium ac civitatis damno augeret. Practer illum, quem laudavi, de bello cur gereudum censuerit Cleo, locum unum tantum afferam, cumque notissimum, de anguillarum piscatoribus illum Aristoph. Eqq. 864, sqq.

---

1) Cf. Aristoph. Pac. vs. 642, sq.:
ἡ πόλις γὰρ ὠχριῶσα κἀν φόβῳ καθημένη
ἅττα διαβάλοι τις αὐτῇ, ταῦτ' ἂν ἥδιστ' ἤσθιεν.

Verane illa sint habenda, quomodo in republica versatus sit Cleo, ut inde commoda percipere potuerit, in sequentibus quaeretur; Aristophanis vero sententiam istam, quo melius ejus testimonia intelligerentur, reliquae disputationi praemittendam esse censui.



CAPUT QUINTUM.



Jam quaerendum videtur, an recte statuerim, Cleonem, ubi ad rempublicam accederet, eorum, qui in illa administranda versarentur, omnium adversarium exstitisse, nullius igitur quasi factionis auxilio fretum summum in civitate locum petivisse.

Inprimis eo pertinet locus Plutarchi Reip. Gerend. Praecept. XII: *ὁ μὲν γὰρ Κλέων, ὅτε πρῶτον ἔγνω τῆς πολιτείας ἅπτεσθαι, τοὺς φίλους συναγαγὼν εἰς ταὐτὸ, διελύσατο τὴν φιλίαν πρὸς αὐτοὺς ὡς πολλὰ τῆς ὀρθῆς καὶ δικαίας προαιρέσεως μαλάσσουσαν ἐν τῇ πολιτείᾳ καὶ παράγουσαν.* Ubi Cleoni ea tribuitur persona, qua ad rempublicam et solus accedat, et ita, ut conjiciat quis, eum, quippe auxilia ista, quibus ceteri uterentur, spernentem, nova via, eaque, qua illis totus adversaretur, progressurum esse. Ad locum igitur istum, quamquam per se non adeo magnam habeat auctoritatem, prae ceteris attendendum esse putavi, quod opportunitatem praeberet ad inquirendum in rationem, quae Cleonem inter eosque, qui in republica versabantur, quum ille eam capesseret, intercesserit.

Scilicet ad comitia fere pertinebant ea, de quibus iis, qui ad rempublicam accederent, certandum erat. Qui in illis suasores existerent de iis, quae populo agenda essent, eos *ῥήτορας* dici constat. His quidem adnumerandus erat Cleo, nec desunt in Aristophanis fabulis loci, ubi Cleonem, id saltem, quo ille pertineret, hominum genus, eo nomine significari sentias. Exempli gratia, quae leguntur in Eqq. vs. 1350 sqq.:

εἴ γε δύο λεγοίτην ῥήτορε,
ὁ μὲν ποιεῖσθαι ναῦς μακράς, ὁ δ' ἕτερος αὖ
καταμισθοφορῆσαι τοῦθ',

Cleonis, eorumve qui in iisdem versarentur, artes istis perstringi dubitari nequit; certissimum porro est, Cleoni, tamquam *ῥητόρων* uni, convicia facere ejusdem fabulae Chorum, vs. 322 sq.:

Ἆρα δῆτ' οὐκ ἀπ' ἀρχῆς ἐδήλους ἀναί-
δειαν, ἥπερ μόνη προστατεῖ ῥητόρων;

Longe alia est ratio loci ejusdem fabulae vs. 59 sq., ubi de Cleone Demosthenes, *βυρσίνην*, inquit, *ἔχων δειπνοῦντος ἑστὼς ἀποσοβεῖ τοὺς ῥήτορας*, quocum conveniunt isicarii haec Cleonis insolentiam imitantis vs. 358:

λαρυγγιῶ τοὺς ῥήτορας καὶ Νικίαν ταράξω.

Quae si quis legat, eam Cleoni tribuat personam necesse est, qua ab iis, qui *ῥήτορες* dicantur, diversus, eorumque in republica adversarius fuerit.

Quaerentibus vero, quaenam sit *ῥητόρων* istorum ratio, quod in Aristophaneis alii aliis locis in eorum genus referri videantur, primus sese offert, unde lucis quid oriatur

Thucydidis locus, (III, 40.) ubi Cleo, οἵ τε τέρποντες λόγῳ ῥήτορες, inquit, ἕξουσι καὶ ἐν ἄλλοις ἐλάσσοσιν ἀγῶνα, καὶ μὴ ἐν ᾧ ἡ μὲν πόλις βραχέα ἡσθεῖσα μεγάλα ζημιώσεται, αὐτοὶ δ' ἐκ τοῦ εὖ εἰπεῖν τὸ παθεῖν εὖ ἀντιλήψονται. Quos enim ῥήτορας illo loco Cleonem dicentem, eos tamquam adversarios perstringentem eundem fingit Thucydides; locus igitur conferendus est cum Aristophanis illis duobus, quos postremo loco attuli. Id vero adversariis objicit Cleo, quod artibus oratoriis populum ad deteriora persequenda trahant. Unde quis colligat, ῥήτορας istos a Cleone distinctos fuisse arte quadam oratoria, qua illius aequales usos esse vel Aristophanea illa docent Eqq. 1377, sqq.: σοφός γ' ὁ Φαίαξ κτέ, ipsum vero Cleonem caruisse, nova certe in verbis coram populo faciendis persecutum esse, mox videbimus. Quod si quis tenet, cetera in nulla difficultate esse facile ille videbit. Ubi enim in civitate, cujus ratio ferret omnia coram populo agi, et ars exerceretur oratoria, et respublica per multos annos ita gesta esset, ut certa de ea gerenda consilia certaque partium descriptio exstitisset, fieri non potuit, quin ii, qui ita in republica versarentur ut coram populo verba iis facienda essent, studiis oratoriis imbuti ad ea, quae agerent, accederent, et ex iis, qui, ut in civitate suis rebus prospicerent, inter se societatem quasi contraxissent, certi quidam dicendi artifices, ubi opus esset, munere oratorio fungerentur[1]).

---

1) Exemplo sint illa, quae leguntur apud Thucydidem VI, 29: οἱ δ' ἐχθροὶ .... ἀπέπεμπον, ἄλλους ῥήτορας ἐνιέντες, οἳ ἔλεγον κτέ.

Hos autem arctiore sensu *ῥήτορας* dici, iisque adversantem fingi Cleonem, qui et ipse coram populo verba faceret, statuendum est; unde probari videtur id, quod contendo, eas imprimis in republica gerenda partes illum sibi sumsisse, quibus eorum esset adversarius, qui post mortem Periclis rempublicam tenebant.

Pauca quaedam adjicere lubet, quae nonnullis fortasse putidiuscula videbuntur, nec tamen a proposito meo aliena snnt. Gloriatur Cleo, Eqq. 877, in eo quod coërcuisset *τοὺς βινουμένους*, cui isiciarius:

οὐκ ἔσθ' ὅπως ἐκείνους
οὐχὶ φθονῶν ἔπαυσας, ἵνα μὴ ῥήτορες γένοιντο.

Quod cave ne ad ipsum referas Cleonem, vel si quis alius eadem sequeretur. Sunt quidem in eadem fabula, unde tale quid colligas, Chori verba rhetori illi adsentientis, qui isiciarii fortunam praedixerat, vs. 427, sqq.; ultimum isiciarii et Cleonis colloquium vs. 1242, nec desunt loci ubi Cleonis *εὐρυπρωκτία* tangi videatur verb. c. vs. 78. Id vero quasi *ἐκ παρέργου* et joci causa fieri, vel ipsa illa docent, quae primo loco attuli; multo enim vehementius in Cleonem censorem agentem invectus esset poëta, si vere eo nomine infamis fuisset [1]).

Vitio illo multos ex ipsa eorum cohorte inquinatos fuisse, qui arti oratoriae studerent eamque igitur viam sequerentur, quae a Pericle ejusque aequalibus indicata esset,

---

1) Cynnam potius meretricem Cleonem amasse colligas e Vespp. vs. 1032.

illosque propterea ab Aristophane perstringi, ob Alcibiadis praesertim in Acharnensibus mentionem, vs. 716 persuasum mihi est. Neque igitur Kortuemii V. Cl. illud probandum est, quod omnia ista, quae de male moratis Oratoribus in Aristophanis fabulis invenerit, ad Cleonis asseclas referre videtur.

Jam de ipsis illis asseclis agendum est. Quorum duo fere genera fingere nobis possumus, alterum eorum, qui Cleoni ad rempublicam accedenti adfuissent, ubi in illa gerenda versaretur factionis quasi ducem eum haberent; alterum quod adulatorum plebem contineat, assiduam in opera omnibus danda, quicumque apud populum gratia valerent. De illo genere quid Plutarchus tradat vidimus, nec quidquam reperi, quod mihi testimonium ejus suspectum reddat. Neque enim sodales istos Cleonis, quos in convivio ei adesse fingit Aristophanes Vespp. 1220 sqq. eos esse credam, quorum auctoritate uti potuerit, ubi summum in republica locum peteret. Theorum, quem blaesa lingua [1]) personatus Alcibiades verissime τὴν κεφαλὴν κόλακος habere dixerit, Phanum, ὑπογραφέα δικῶν, nimirum eum, qui in judiciis intentandis Cleonis vice fungi paratus esset, meros fuisse adulatores, manifestum est; neque in civitate multum valuisse credo aut Aeschinem, cujus bona omnia Nubicuculiae essent, aut Acestora, quem vel civem esse negarent [2]).

---

1) Cf. Schol. ad Vespp. vs. 44.

2) Cf. Schol. ad Vespp. 1221; ad Avv. 823.

Adulatorum vero permagnum gregem Cleonem sectari solitum esse Aristophanes auctor est Vespp. vs. 1033 sq., Pac. vs. 756 sq.: *ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο περὶ τὴν κεφαλήν.*

Ne ipsos quidem principes in Atheniensium civitate viros, quales ii essent qui praetura fungerentur, semper Cleonis, ubi summa auctoritate apud populum valeret, gratiam sibi consiliare, ut suis rebus prospicerent, dedignatos esse, e duobus Equitum locis colligo, altero, ubi patrum memoria belli duces, ut victus in Prytaneo sibi daretur, Cleaenetum nullos rogasse perhibet Chorus vs. 573 sqq.: ibi enim sua aetate talia a Cleone peti solere poëtam significare verosimillimum est; altero, vs. 1255 sq. ubi isiciario personatus Demosthenes: *καὶ σ'αἰτῶ βραχύ, ὅπως ἔσομαί σοι Φανὸς ὑπογραφεὺς δικῶν.* Haec vero ad eam, quae nunc agitur, quaestionem minus pertinere videntur.



CAPUT SEXTUM.



Pergendum est ad ea, quae de persona comperta habemus, quam Cleo, ubi cum populo ageret, ferebat. De qua ubi quaestionem instituimus, inprimis attendamus necesse est, ad ejus, quam memorat Aristophanes, impudentiam, quae, ut sola oratoribus praeësset, ita in illo inde ab initio eluceret. Quae latissime quidem patet; quod enim chorus Equitum Cleoni objicit, vs. 326, impudentia fretum eum peregrinos vexasse id pertinere ad ea, quibus auctoritatem, qua apud populum valeret, in suos usus converterit, manifestum est: eodemque referas ea, quae Demosthenes narrans inducitur, Eqq. 65, sqq.:

..Παφλαγὼν δὲ περιθέων τοὺς οἰκέτας κτἑ.,

nec minorem impudentiam testantia illa, quam contra peregrinos ista. Et vero impudentissime de auctoritate illa gloriantem eum fingit Aristophanes Eqq. 713 sqq.:

Ἐγὼ δ' ἐκείνου καταγελῶ γ' ὅσον θέλω. κτἑ.

Quae si quis mera poëtae figmenta esse dicat, nec verius putet id, quod de se coram populo praedicans inducitur Cleo, Eqq. 1226:

Ἐγὼ δ' ἔκλεπτον ἐπ' ἀγαθῷ γε τῇ πόλει,

4

non obsto; id vero teneat velim, impudentiae isti imprimis locum fuisse in iis, quae cum populo ageret Cleo. Hac de re adeunda sunt illa, quae scripsit Thucydides [1]) de iis, quae Cleo coram populo egerit, quum hic pacem illo auctore rejectam fuisse aegre ferret. Nimirum mendacii illum nuntios arguisse, quum nec ipse ignoraret vera eos nuntiare, colligere licet ex iis quae mox protulisse fertur. Nicia vero auctore bellicum imperium suscipere coactus, statim confugit ad *κουφολογίαν* istam, quam dicit Thucydides, qua intra viginti dies nullis nisi sociorum copiis juvantibus, Sphacteriam a se expugnatum iri jactet. Quod sive imperitiae illi audaciam gignenti, sive, quod potius videtur, acerrimo cuidam sensui, quo ea, quae pro re nata sibi agenda essent, statim cerneret, tribuatur, nullo pudore impeditum eum fuisse, ubi ambiguis rebus implicato, nulla fere spe relicta fore ut honor salvus evaderet, audendum atque agendum ipsi esset, nemo, si quid video, negabit.

Aristophaneis hac in re cautius utendum esse facile quis videat; quaerendum enim esse tum verane Cleonem de se loquentem inducat poëta, tum si vel verissima sint ista, an ita ea dixisse vel dicturus fuisse Cleo putandus sit.

Nec tamen illa nihil praebent. Verbi causa, vix quemquam esse puto, qui talia dicturum fuisse credat Cleonem, qualia loquens inducitur Eqq. vs. 799 sq.:

. . . . . πάντως δ'αὐτὸν θρέψω 'γὼ καὶ θεραπεύσω,
ἐξευρίσκων εὖ καὶ μιαρῶς ὁπόθεν τὸ τριώβολον ἕξει.

---

1) Vid. Thuc. IV, 27, sq.

aut paulo ante vs. 774 sqq.:

...... χρήματα πλεῖσ᾽ ἀπέδειξα
ἐν τῷ κοινῷ, τοὺς μὲν στρεβλῶν, τοὺς δ᾽ ἄγχων, τοὺς δὲ μεταιτῶν,
οὐ φροντίζων τῶν ἰδιωτῶν οὐδενός, εἰ σοὶ χαριοίμην.

Ea vero impudentia fuisse Cleonem, ut istis artibus populi gratiam eum captare perspicuum esset, parumque abesset ut ingenue illud fateretur, non sine causa suspicari licet, quum ejusdem sint generis ea, quae a synegoris in judiciis afferri et verius quidem, opinor, illud perhibens inducitur isiciarius Eqq. vs. 1358 sq.:

ἐάν τις εἴπῃ βωμολόχος ξυνήγορος·
οὐκ ἔστιν ὑμῖν τοῖς δικασταῖς ἄλφιτα,
εἰ μὴ καταγνώσεσθε ταύτην τὴν δίκην.

Praeterea illud, quod de Cleonis, in concione ista de qua vidimus, habitu e Thucydidis narratione statuendum esse dixi, illius moris proprium fuisse, ut gravissimas res, quum necopinato illi acciderent, facillime expediret, colligas ex iis quae isiciario dicendi sese satis peritum esse glorianti objiciens inducitur Eqq. vs. 344 sq.:

..... καλῶς γ᾽ ἂν οὖν τι πρᾶγμα προσπεσόν σοι
ὠμοσπάρακτον παραλαβὼν μεταχειρίσαιο χρηστῶς.

Omnia quidem ista potius ad res pertinent, eaque quae dixerit et egerit Cleo, quam ad ejus personam et habitum; alterum vero cum altero arctissime cohaerere constat. Fieri enim non potuit, quin, ubi omnibus iis, quae moliretur, impudentia subesset, illaque fretus coram populo suam rem ageret, ratio quoque, qua procederet, eadem quasi signata

esset. Huc illud refero, quod Aristophanes tum tamquam monstrum immane ac foedum eum depingat, tum *κράζειν* fere, *βοᾷν*, *παφλάζειν* eum dicat, ubi ea memoret, quae oratione apud populum efficeret. Nec inde aliena videntur singula ea, quae propria ac pro more oratorum nova ejus habitui inesse accipimus.

Verbi causa, multus est Aristophanes in voce Cleonis notanda, sive torrentis Eqq. 137, cf. Acharn. 381; sive porci inusti Vespp. 36; sive gurgitis Vespp. 1034, Pac. 757, eam dicat. Quibus ne quis vitium totum nativum illudere credat poëtam, inspiciat locum illum Equitum vs. 342 sqq., ubi Cleo isiciario insaniam objicit, quod sibi adversarius existere in mente haberet. Unde patet moris fuisse oratorum, ut publice verba facturi jejunia agerent, ne minus decore procederent; id vero se negligere, ac ventre pleno, temulentum, in concionem progredi, quasi summae auctoritatis et facultatis testimonio glorians inducitur Cleo.

Universe multa fecisse, quibus ille primus oratorium decorem [1]) ex Atheniensium concionibus sustulerit, Plutarchus tradit Nic. VIII, cui is est, qui *τὸν ἐπὶ τοῦ βήματος κόσμον ἀνελὼν καὶ πρῶτος ἐν τῷ δημηγορεῖν ἀνακραγὼν*

1) Antea summa fuerat oratorum, cum ad populum verba facerent, modestia et verecundia, quam non voce solum et oratione, sed toto corporis habitu et gestu prae se ferebant. Cf. Aeschin. in orat. adv. Timarch., ubi leges de *ῥητόρων εὐκοσμίᾳ* servatae sunt, quae jam negligebantur, ita ut in desuetudinem abierat salutare illud Solonis institutum, ut a praecone solemnis formula recitaretur: *τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν*, *κτλ.* (Vid, Aesch. adv. Ctesiph. p. 386.)

καὶ περισπάσας τὸ ἱμάτιον καὶ τὸν μηρὸν πατάξας καὶ δρόμῳ μετὰ τοῦ λέγειν ἅμα χρησάμενος, τὴν ὀλίγον ὕστερον ἅπαντα τὰ πράγματα συγχέασαν εὐχέρειαν καὶ ὀλιγωρίαν τοῦ πρέποντος ἐνεποίησε τοῖς πολιτευομένοις [1]). Quod si igitur Ciceroni concedamus, Cleonem turbulentum quidem civem sed tamen eloquentem fuisse (Brut. VII), neque enim sine eloquentia tantam ut sibi apud cives auctoritatem comparasset futurum fuisse, tenendum tamen est, turbulentum non magis civem quam oratorem dicendum eum esse.

De genere, quo usus sit, dicendi ex oratione quam ei tribuit Thucydides, nihil colligi posse, vix opus est ut moneam, nec adeo illud magni momenti esse videtur, quod spurcissima loquentem passim eum inducit Aristophanes. E pugna vero, quam Cleonem inter et isiciarium factam fingit poëta Eqq. 461—481, aliisque ejusdem fabulae locis vs. 215 sqq. 314, liquido constat, id Cleonis orationis proprium fuisse, quod plena esset locutionum ac metaphorarum a vilissimorum opificum artibus ac sermone translatarum.

Praeterea paucis monendum videtur de vaticiniis, quibus in concionibus usus sit Cleo. Quae forte ad rationem potius, qua populum moderatus sit ille, quam ad habitum ejus oratorium pertinere quis censeat; singula enim

---

1) Cum illo loco confer. Schol. ad Luciani Timon. Cap. XXX. *Ἀριστοτέλης δὲ περιζωσάμενον αὐτὸν λέγει δημηγορῆσαι*, non enim multum tribuendum videtur ei quod Aristotelis dictum metaphorice accipit, quasi dixisset: *εἰς τὴν θρασύτητα αὐτοῦ ἀποσκώπτων.*

vaticinia, ubi suo quodque loco protulisset atque explicasset, plurimum valuisse, ubi de certis causis populum in suam sententiam tracturus esset. Neque res omni dubitatione vacare mihi videtur: quare pro certo nihil a me affirmari, statui tantum velim, quid mihi hac de re probabile videatur.

Vaticiniorum usum Athenis late patuisse constat; neque igitur mirum est, ne e principibus quidem in civitate viris defuisse quondam, qui in illis explicandis versarentur, ne populus, prava vel ipsorum de rebus gerendis sententiae contraria explicatione deceptus, a via, quam sequendam ei esse crederent illi, discederet.

Cujus rei duo exempla afferam, ex antiquioribus temporibus utrumque; alterum Themistoclis, in explicanda oraculi de ligneo muro sententia adversantis iis, qui harum rerum periti erant (*οὗτος ὡνὴρ οὐκ ἔφη πᾶν ὀρθῶς τοὺς χρησμολόγους συμβάλλεσθαι* Herodot. VII. 143), alterum Hippiae illud, quod Sosicli Corinthio responderit *οἷά τε τοὺς χρησμοὺς ἀτρεκέστατα ἀνδρῶν ἐξεπιστάμενος*, Herodot. V. 93. Quod si statuendum est, eadem Cleonem quoque egisse, fateamur necesse est, id, quod de vaticiniis protulerit, ad ipsam, qua populum moderatus sit, rationem pertinere.

Tenendum vero est fuisse certos in Attica vates, vel satis nobiles illos, ut vel in prytaneo victum de publico acciperent [1]) ac certa quaedam negotia, v. c. in deducendis

1) Cf. Aristoph. Pac. 1084.

coloniis, foederibus componendis populo administrarent, [1]) vel viliores, qui, ut victum quaererent, urbes agrosque pervagarent, qualem in Avibus fingit Aristophanes vs. 959. sqq. Cui generi sine dubio adnumerandus erit Cleo, ubi Aristophanis de ejus vaticiniis ratio urgetur. Eum enim in Equitibus fingit Cleonem, qui ipse Bacidis vaticinia domi servet, et aut ficta illa aut vera, ubi res sua illud postulet, populo offerat, neque in explicandis tantum iis, quae aliunde a vatibus prolata sint, versetur. Jam si cogitamus certum vatum quasi ordinem fuisse munusque illud a patre ad filium transferri solitum esse, ita ut vel ii, qui inde victum quaererent, celebris alicujus vatis saepius filios sese esse perhiberent, [2]) totum porro genus illud Aristophanis jocis obnoxium fuisse, fieri non posse mihi videtur quin in vatum numero referri prorsus non posse Cleonem pro certo habeamus, id vero suspicemur, poëtam illi quocunque tandem modo vaticiniis utenti, partes illas tribuisse, quo facilius artes istae, quibus populi gratiam sibi conciliaret, perstringi possent.

Mittamus igitur fictionem illam Aristophaneam, et potius

1) Lamponis vatis in Thuriis condendis partes fuisse e Diodoro et Plutarcho notum est, nec injuria, opinor, quis suspicetur, tanquam vatem illis eum adjunctum fuisse, qui in pace Niciae componenda ex Atheniensibus jusjurandum praestarent, Thuc. V. 19. Sed haec incertiora esse lubens agnosco. — Distinguuntur χρησμόλογοι a μάντεσι ab Aristophane Pac. 1046. Scilicet hos extispices potius esse ex ipso illo loco intelligas. Lampo vero inter χρησμολόγους nominatur Avibus vs. 988.

2) Cf. Herodot. IX. 95, Plut. Nic. V.

quaeramus, quid tandem Cleoni cum vaticiniis esse potuerit. In hac re praesertim attendendum est ad locum Thucydidis II. 21, ubi in descriptione turbarum, quae Peloponnesiis agrum Atticum vastantibus Athenis exstitissent, *χρησμολόγοι τε*, inquit, *ᾖδον χρησμοὺς παντοίους, ὧν ακροᾶσθαι ὡς ἕκαστος ὥργητο.*

Unde colligo belli Peloponnesiaci tempore Atheuis illas fere vatum partes fuisse, ut sua quisque auctoritate quidquid sibi vaticiniorum innotuisset per populum spargerent. Vix igitur puto fore ut quisquam credat, singulorum vaticiniorum eam fuisse auctoritatem, ut in comitiis illo tempore de sententia illis tribuenda disputari posset, nec, nisi illud fieret, Cleo in illis populo explicandis poterat, opinor, eadem qua Themistocles ratione versari.

Vaticinium praeterea, quo prae ceteris in populi concionibus usum esse Cleonem ex Eqq. 1013 constat, de aquila illud in nubibus, quod in Scholiis ad hunc locum servatum est, nullo modo ad certam, quae illo tempore agitaretur, quaestionem pertinere censendum est. Nec fere illo nisi mero populi blandimento et incitamento uti potuit. Ut verbo dicam, in concionibus usus fere esse vaticiniis Cleo mihi videtur, ubi illa facillimam adulandi viam praeberent, qua popularibus monitor existeret splendidi illius et magni, quod superi illis destinassent ac servassent. In idem porro genus referendum est illud, quod Cleo Minervam, Athenarum patronam, grandibus illis cognominibus *Πυλαιμάχος*, *Φοβεσιστράτη* aliis significans

et illius auxilio tribuens, si quid ipse populo voluptatis afferre possit, ab Aristophane inducitur Eqq. 1172, sqq.

Ab ea, quam indicavi, ratione non alienum esse id, quod Cleo ad se suasque in civitate partes vaticinia retulerit, unde sine invidia decus sibi comparare posset, aliis contra adversarios usus sit, Aristophanea igitur ista, de Cleone et isiciario vaticiniis quasi certantibus (Eqq. 1014 sqq.), ad Cleonis personam omnino pertinere, persuasum mihi est. Unus praeterea Aristophanis locus est, nnde Cleonem ad certam causam defendendam vaticiniis usum esse statui posset, Eqq. 817, sq.:

σὺ δ' Ἀθηναίους ἐζήτησας μικροπολίτας ἀποφῆναι
διατειχίζων καὶ χρησμῳδῶν, ὁ Θεμιςοκλεῖ ἀντιφερίζων.

Nec tamen inde colligendum est, in illa re aut nova vaticinia protulisse, aut in explicandis iis, quae populo aliunde oblata essent, versatum esse Cleonem; multa eaque satis nota de Athenarum nrbe ac solo vaticinia fuisse, qnae attulerit Cleo, ne sibi, de urbe munienda populiscitum ferenti, civium superstitio molestias pareret, nihil quominus statuamus impedire videtur.

Denique de somnio illud Cleonis, Aristoph. Eqq. vs. 1090 sq., ad verum ejus in populi concionibus habitum referendum esse, non est quod dubitem. Talibus enim fingendis sperare poterat ut is evaderet, cui singularis quaedam diisque debita de civitatis salute providentia tribueretur; qnod, ut petere illud summae impudentiae esset, plurimum valuisse ad populi, vilioris ejus et qui facilius decipi se sineret, gratiam captandam, nemo non videat.

Nimirum summa eorum, quae de Cleonis persona ac habitu disputavi, ea esse videtur, quod plebem, *τοὺς πολλοὺς τοὐβολοῦ*, quae Aristophanis verba sunt Eqq. 945, suam facere propositum ei fuerit. Non enim illud urgendum est, quod Aristophanes *Οἵ τε πλούσιοι*, inquit, *δεδίασιν αὐτὸν ὅ τε πένης βδύλλει λεώς* Eqq. 223 sq., quum appareat de illo ne cogitare quidem potuisse poëtam, ut in eadem fabula conviciis eum quasi obrueret simulque confiteretur, plebis istius egenae amicum ac patronum eum esse. Popularis, quae Athenis vigebat, ratio ferebat ut penes illam fere esset respublica, quum praesertim ea esset civitatis conditio, ut pauperioribus e publicis negotiis victus capiendus esset. Gratiam vero plebis, si vel plurimum operae et divitiarum in ea captanda consumserit aliquis, potius tamen eos sibi conciliare qui a divitibus iisque, qui in republica gerenda versari solerent, sejuncti, ipsius vero plebis morum participes essent talesve sese esse finxissent, eaque sequerentur, quibus sine invidia adulari eam possent, non dubium videri potest.

Ac verius quam fortasse ipse voluerit Aristophanes Eqq. 191 sqq.:

Ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ
ἔτ᾽ ἐςὶν ἀνδρὸς οὐδὲ χρηςοῦ τοὺς τρόπους
ἀλλ᾽ εἰς ἀμαθῆ καὶ βδελυρόν.

Vel ipsam impudentiam Cleonis non tantum ut personae inesset, quam in rebus coram populo agendis ferret, sed per se etiam, quod risum moveret novaque videretur, Atheniensium plebi placuisse, nec illud ignorasse Cleonem, col-

ligi posse mihi videtur e narratione ista de Cleone in populi concionem prodeunte, nec sua agente, quod scilicet hospites convivio excepturus esset, quam servavit Plutarchus in Vit. Niciae Cap. VII.

Quaerendum jam est utrum vere ἀμαθὴς et is censendus sit Cleo, qui non nisi ad infimae plebis mores accommodare sese potuerit, an de industria talem sese praestiterit, quo facilius ac plenius plebis gratiam sibi conciliaret. Eorum, quae gesserit, saepius minus peritum eum fuisse, Thucydidis sententia potest haberi V, 7: τὴν ἐκείνου (τοῦ Κλέωνος) ἡγεμονίαν..... μετὰ οἵας ἀνεπιςημοσύνης..... γενήσοιτο. Quam si quis, et jure quidem, ut mihi videtur, amplectitur, colligere inde possit vix futurum fuisse ut Cleo summum in civitate locum obtinuisset, nisi novam viam iniisset, nec tamen illud inscientiae reum faciat Cleonem. Et minus recte viliori plebi eum adnumerari vel inde patet, quod Aristophanes in Equitibus, ut populi in eum indignationem ac risum moveat, adversarium, qui foedior ipso pravis artibus eum superet, ex ipsa illa plebe existere fingit. Liberaliter educatum eum fuisse propter istum poëtae de harmonia Dorica jocum Eqq. 985 sqq. statui possit, quamquam his minus fortasse tribuendum quis censeat, ob isiciarii verba, Eqq. vs. 188, sqq.:

'Αλλ' ὦγάθ', οὐδὲ μουσικὴν ἐπίςαμαι,
πλὴν γραμμάτων, κτέ.

Sed in Vespis Cleo memoratur, ut particeps convivii ἀνδρῶν πολυμαθῶν, καὶ δεξιῶν, (vs. 1175) et cantibus delectans, qui in conviviis solemnes erant (vs. 1220, sqq.).

Quidquid igitur de Cleonis foeditate statuatur, animo potius quam ordine infimae plebi affinem eum fuisse ac sponte sua novam istam viam, qua rempublicam capessiverit, iniisse, pro certo habendum videtur.



CAPUT SEPTIMUM.



Ex ipso illo quod vidimus, id egisse Cleonem, ut plebis gratia captanda ad summum in civitate locum accederet, in id, quod deinceps quaerendum est, quanam ratione in republica gerenda et administranda versatus sit multum lucis profluit.

Scilicet inde statuere licet, illi rationi proprium fuisse, ut populo quam plurima gratificari quaerens, privatorum hominum commoda nullo modo curaret, οὐ φροντίζων, ita sese egisse coram populo iactans inducitur, τῶν ἰδιωτῶν οὐδενός, εἰ σοὶ χαριοίμην (Eqq. 776). Itaque duo fere ad rationem, qua rempublicam gesserit, pertinere censenda sunt; alterum quod undecunque ea quaereret, quae plebi grata essent, divitibus igitur ac melioris notae civibus et, ut verbo dicam, iis cum quorum damno et offensione saepius illa fieri debebant, molestus et invisus existeret; alterum quod omnibus istis, si vel a republica gerenda abessent, sua sponte, quippe qui plebi esset patronus, inimicus et adversarius fieret. Alterum efficere debebat ut aerarium quovis modo implere et in plebis

usum convertere studeret, ad alterum calumniae istae ac turbae pertinent, quas in cives et peregrinos eum agere passim queritur Aristophanes in fabulis; ista omnia arcte inter se cohaerere facile quis viderit. Ad alterutram autem rationem referri posse majorem partem eorum, quae in republica gerenda egerit Cleo, jam eo, quo nunc disputando pervenimus loco, pro certo, opinor, sumere licet; in quibus exponendis, quum ipsae res vix certum ordinem suppeditare videantur, disputationis cursum sequemur.

Certum quoddam munus populum tradidisse Cleoni, quo illius res administraret, fingit Aristophanes in Eqq.vs. 947, sq.:

καὶ νῦν ἀπόδος τὸν δακτύλιον, ὡς οὐκ ἔτι
ἐμοὶ ταμιεύσεις.

Haec autem ne quis pro veris accipiat et ejusmodi magistratum gessisse credat Cleonem, qualem Lycurgo Oratori per tria quadriennia mandatum esse e Pseudo-Plutarchi Vitis X Oratorum discimus, cavebunt, credo, tum Cleonis illa, Populo respondentis: (Eqq. 948, sqq.)

τοσοῦτον δ' ἴσθ' ὅτι,
εἰ μή μ' ἐάσεις ἐπιτροπεύειν κτέ,

tum ipsius Populi verba: (Eqq. 1127, sqq.)

κλέπτοντά τε βούλομαι
τρέφειν ἕνα προςάτην κτέ.

quae non nisi eo referri possint, quod populus in fidem quasi Cleonis sese contulisset. Ipsa igitur fictio illa Aristophanea ostendit, quod vero etiam per se facile intelligitur, populi moderationem non certis magistratibus inhaerere sed per se esse et in suis negotiis versari.

Nec vero praeturam gessisse videtur Cleo, antequam Nicias illi quasi se abdicasset; id enim et Thucydidis de ea re narratio ferre videtur, et locus huc pertinens ex Aristophanis Nubibus, (vs. 581, sqq.) de quo in sequentibus agendum erit. Munus autem illud belli tempore Athenis latissime patuisse, ita ut et praetores populum convocarent (Thuc. II, 22, 59; IV, 118.) et cum illo munere Pericli omnia sua negotia populus tradidisse feratur a Thucydide (II, 65.), nota res est. Itaque artes potius demagogicae, quibus coram populo in verbis faciendis legibusque ferendis uteretur, iisque adeo, quibus respublica imprimis maudata esset, adversaretur[1]), quam certa munera Cleoni viam ad rempublicam stravisse censendae sunt; quamquam sine dubio saepe munera extraordinaria, quale *κατασκόπου* illud a Thucydide memoratur (IV, 27) populus ei mandavit.

Artibus autem istis demagogicis non tantum in comitiis sed etiam in senatu et in judiciis locus erat. Ad senatorium, quo functus sit, munus ea referens inducitur Cleo, quae ad aerarium implendum populo praestiterit Arist. Eqq. 774, sq.:

ἡνίκ᾽ ἐβούλευόν σοι χρήματα πλεῖς᾽ ἀπέδειξα ἐν τῷ κοινῷ,

nec alia desunt, quae eodem pertinere videantur, de his autem mox videbimus. Id vero tenendum est, tunc quoque quum Senatorii muneris expers in republica gerenda versaretur,

1) *στρατηγοὺς κλαςάσεις*, Eqq. 166; *διαβαλῶ σ᾽ ὅταν ςρατηγῇς*, ib. 288. Cf. etiam vs. 355, 358.

multa cum Senatu illi agenda fuisse; de omnibus enim, quae ad populum ferrentur, Senatui consulendum erat, multa ille administrabat, quae iis, qui rempublicam capesserent, non negligenda erant, de delictis denique ad rempublicam pertinentibus, quae ad illum deferrentur, cognoscebat. Easdem fere, quas in comitiis, partes in senatu egisse Cleonem apparet ex Equitibus vs. 475, sqq., 624, sqq. Ibi enim Cleonem accusationem ad Senatum deferre fingit poëta, isiciarium nuntium apportare, utrumque deinde e suggestu (nam de sagittariis Cleonem inde deturbantibus sermo est vs. 665.) verba facere et Senatusconsulta ferre, quum manifestum sit, neutrum e fabulae ratione senatorem fuisse. Facile vero intelligitur fieri vix posse quin demagogi, qui apud populum gratia plurimum valerent, si vel in senatus offensionem incurrissent, non magni illud facerent cumque auctoritate quasi premerent, eoque referenda sunt et Cleonis illa, coram Senatu ab isiciario victi, Eqq. 722 sqq.:

Οὐκ ὠγάθ', ἐν βουλῇ με δόξεις καθυβρίσαι
Ἴωμεν εἰς τὸν δῆμον,

et Demosthenis ea, quibus isiciario futuram ejus conditionem, ubi populo praeësset, depingens, *βουλὴν* eum *πατήσειν* affirmat. (Eqq. 166.)

Judicibus praesertim sibi conciliandis operam dedisse Cleonem, affirmatur in Aristophanis Vespis vs. 596 sq.: *αὐτὸς δ' ὁ Κλέων ὁ κεκραξιδάμας μόνον ἡμᾶς οὐ περιτρώγει ἀλλὰ φυλάττει διὰ χειρὸς ἔχων καὶ τὰς μυίας ἀπαμύνει.* Nimirum in Atheniensium civitate, ubi omnia ad judices deferri poterant, nemo qui vel apud populum sententiam

suam pertulisset, vicisse illam seque tutum evasisse credere poterat, nisi sciret e judicio sibi nil metuendum esse, multum contra apud populum valuisse si quis judices a sua parte staturos affirmaret ex Aristophanis illis constare videtur Vespp. 594:

Κἂν τῷ δήμῳ γνώμην οὐδεὶς πώποτ' ἐνίκησεν, ἐὰν μὴ εἴπῃ τὰ δικαστήρι' ἀφεῖναι πρώτιστα μίαν δικάσαντας.

Maximi praesertim ei fuisse, qui calumniis fere in republica gerenda uteretur, multaque igitur ipse ad judices deferenda curaret, ut illos benevolos haberet, nemo in dubium vocabit.

Jam videamus de artibus, quibus Cleo judicum animos sibi conciliaverit.

In illa re eo praesertim usus esse videtur ut ostenderet quovis modo judicum commodis sese prospicientem, id est curantem ut satis mercedis illis daretur; Cf. Arist. Eqq. 255 sq.:

ὦ γέροντες ἡλιασταί, φράτερες τριωβόλου
οὓς ἐγὼ βόσκω κεκραγὼς καὶ δίκαια κἄδικα,
παραβοηθεῖθ', ὡς ὑπ' ἀνδρῶν τύπτομαι ξυνωμοτῶν.

Qua in re distinguenda sunt ea, quae in ipsis judiciis ab iis, quae in cetera reipublicae administratione egerit Cleo. Ad alterum genus id pertinet, quod legitur in Aristophanis Equitibus

ἐάν τις εἴπῃ βωμόλοχος ξυνήγορος
οὐκ ἔστιν ὑμῖν τοῖς δικασταῖς ἄλφιτα
εἰ μὴ καταγνώσεσθε ταύτην τὴν δίκην.

Synegori quidem munere functum esse Cleonem ubi

apud populum summa gratia valeret, mihi quidem vix probabile videtur; ex eo quod de Synegoris tanquam *νεανίσκοις* et *μειρακίοις* loquitur Aristophanes, Acharn. 680, Vespp. 687, suspiceris eorum fere illas partes fuisse, qui nuperrime ad rempublicam accessissent vel secundas quasi agerent, nec dubito, quin adulatores isti Cleonis asseclae in illis praesertim versati sint. Ipsum tamen saepius in causis ad rempublicam pertinentibus, quippe ubi accusator exstitisset ut in Lachetis illo judicio, in Vespis, quasi canum esset lis, descripto, coram judicibus verba fecisse, et ut ceterarum fere artium, quae in Equitibus perstringantur, ita etiam synegororum illius auctorem habendum esse pro certo sumi posse videtur.

In altero genere rursus distinguenda sunt ea, quae ad mercedem judicialem constituendam ab iis, quae ad pecunias in mercedem illam colligendas pertineant. Fatear necesse est, mihi quidem non liquere, utrum statuendum sit necne, Cleone auctore triobolum dari coeptum esse, quum Periclis, qui mercedem judicialem instituit, aetate minor fuisset. Duo vero certa esse videntur et id egisse Cleonem, ut spem adderet civibus, ubi in bello gerendo persisterent imperiumque augerent, mercedem illam auctum iri, quo pertinent Aristophanis illa, Eqq. vs. 797 sq.:

Ἔστι γὰρ ἐν τοῖς λογίοισιν
ὡς τοῦτον δεῖ ποτ' ἐν Ἀρκαδίᾳ πεντωβόλου ἡλιάσασθαι, et belli sumtus tanti fuisse, ut fieri vix possit, quin de mercede etiam judiciali diminuenda sermo aliquando fuerit, Cleonem autem tali consilio semper adversatum esse, cum

cetera omnia quasi circumroderet. Jam de una alterave quaestione agendum videtur, quae cum his cohaereat.

Athenis aliquando iis etiam, qui comitiis interessent, mercedem dari solitam esse, et quidem belli Corinthiaci tempore, quo Ecclesiazusae actae sunt, triobolum, antea obolum datum esse [1]) notissimum est. Quod si quis teneat, mirum ei accedat, de Cleonis in illa mercede constituenda et curanda opera nihil ab Aristophane memorari; semper de sola mercede judiciali loquitur poëta. Scilicet inde colligas, mercedem illam comitialem post Cleonis demum aetatem datam esse. Et Periclem quidem solam mercedem judicialem instituisse, ex Aristotelis, auctoris de his rebus locupletissimi, verbis colligere licet, Polit. II, 12: *ὥσπερ τυράννῳ τῷ δήμῳ χαριζόμενοι τὴν πολιτείαν εἰς τὴν νῦν δημοκρατίαν κατέςησαν, καὶ τὴν μὲν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν Ἐφιάλτης ἐκόλουσε καὶ Περικλῆς, τὰ δὲ δικαςήρια μισθοφόρα κατέςησε Περικλῆς.* Eo, quo Quadringenti Athenis constituti sunt, tempore mercedem comitialem dari solitam esse conjicias, quod ita optime explicetur, quid commune habuerint duo ista, quae factiosi necessaria esse praedicabant: *ὡς οὔτε μισθοφορητέον εἴη ἄλλους ἢ τοὺς ςρατευομένους, οὔτε μεθεκτέον τῶν πράγματων πλείοσιν ἢ πεντακισχιλίοις, καὶ τούτοις οἳ ἂν μάλιςα τοῖς τε χρήμασι καὶ τοῖς σώμασιν ὠφελεῖν οἷοί τε ὦσιν.* (Thuc. VIII, 65.) Itaque non sine causa mercedem istam post pacem Niciae, ante bellum Siculum, fortasse Alcibiade ejusq. asseclis auctoribus, institutam esse suspiceris.

1) Aristoph. Eccles. 392 sqq.

Porro quaerendum est, reetene illud dicatur ab Aristophane, nihil fuisse nisi judices, quod Cleo non circumroderet. Qneritur poëta Eqq. 1350 sqq. de populo, duorum oratorum altero in navibus construendis, altero in mercede danda, certam pecuniam consumere suadentibus, hujus semper consilia sequente. Nullus dubito quin orator iste *ὁ τὸν μισθὸν λέγων*, poëtae ac spectatoribus fuerit Cleo; nec tamen propterea statuendum videtur, veritati congruam esse poëtae rationem et vere Cleonem iis adversatum esse qui in rem navalem augendam, sumtus impendere suaderent. Populus regeneratus triremium nautis, quoties domum rediissent, stipendium integrum daturum sese esse affirmat, nec credo defore, qui, Cleonem inde quoque detraxisse, his verbis significari putent (Eqq. 1366). Est autem locus [1]) ubi ipse Aristophanes Cleonem inprimis nautarum plebis facit patronum, in canum illa lite, ubi is, qui pro altero cane, Labetem accusante, verba facit.

Δεινότατα γὰρ

ἔργων δέδρακε κἀμὲ καὶ τὸ ῥυππαπαῖ

Scilicet id quidem semper agit poëta, ut vitam rusticam prae ceteris, quae aerarium premerent, artibus commendet, ubi vero ex illis unam alteramve carpit, nautarum fere patroni partes agere sese fingit, quod praeter illud, quod attuli exemplum, locus etiam ex Acharnensibus ostendit vs. 161 sqq.

τοισδὶ δύο δραχμὰς τοῖς ἀπεψωλημένοις;

ὑποστένοι μέντἂν ὁ θρανίτης λεώς,

ὁ σωσίπολις·

---

1) Vespp. vs. 908 sqq.

nec iude aliena sunt, quae de equis naves conscendentibus et Corinthum petentibus scripsit poëta Eqq. 595 sqq., nimirum ut ostenderet, opinor, equites eosdem exantlare labores ac nautas, nec recte illis quasi opponi, quod quum equites ad ditiores, nautae ad pauperiores pertinebant, a Demagogis facile fieri poterat. Nullo igitur jure ex Aristophanis fabulis colligi posse arbitror nautarum mercedem minuere potius quam ut dari posset curare solitum esse Cleonem, quippe qui et plebis et vero belli gerendi patronus nautarum etiam inprimis commodis prospicere debuerit.

Exemplum alius rationis quo in plebis commodum pecunias publicas impendendas curaverit Cleo, illis inest quae de sacrificiis, de quibus Senatus consultum tulerit, leguntur in Aristophanis Equitibus vs. 652 sqq. Ea quae de frumento et agris populo distribuendis memorantur in Vespis vs. 715 sqq. ad aerarium non pertinent, nec quid in illis egerit Cleo, facile quis statuat.

Quod si ita est, id, quod omnia *περιτρώγειν* fertur Cleo, non nisi ad exactiones minorisve momenti vexationes pertinere necesse est, et Cleonis operam magis in iis versatam esse, quibus aerarium impleretur, quam in certis quibusdam mercedibus suppeditandis, ceteris reipublicae sumtibus minuendis. Opportune igitur quaestio institui posse videtur de artibus, quibus pecunias in aerarium conferendas curaverit Cleo.

Primum locum teneat illud, quid hac in re munere Senatoris fungens praestiterit. Quod praesertim ad ipsos Athenienses pertinere, unde pecunias quovis modo exigeret

Cleo, e loco Equitum, quem attuli, vs. 774 sqq. confici potest; ubi enim de sociorum civitatibus sermo fuisset, *ἰδιωτῶν* opinor, ut uteretur vocabulo non futurum fuisset; nec eo pertinere illa, quae in inquilinos agere potuerit, mox videbimus. — Nimirum *στρεβλοῦν* illud et *ἄγχειν* ad ea referenda videntur, quae in debitis a vectigalium redemtoribus exigendis egerit Cleo, sive Senatus consulta de illa re ferret sive e Senatus auctoritate ipse ageret; verborum enim hoc loco delectum ad poëtae magis animum in Cleonem infestum quam ad veritatem factum esse, non sine causa quis suspicetur, et rem omnino ad Senatum pertinere, vel e jurisjurandi Senatorii fragmento apparet, in Demosthenis Timocratea pag. 730 servato. Praeterea de tributo extraordinario ad finem anni a. Chr. n. 428 Atheniensibus primum imposito, cogitari potest, quippe cujus curam Senatui mandatam esse, nemo, opinor, facile dubitet, qui reputet, ejus negotia maximam partem ad rem pecuniariam pertinuisse. Et locus quidem in Equitibus ubi tributum illud memoratur, vs. 923 sqq.:

Δώσεις ἐμοὶ καλὴν δίκην
ἰπούμενος ταῖς εἰσφοραῖς·
ἐγὼ γάρ εἰς τοὺς πλουσίους
σπεύσω σ᾽ὅπως ἂν ἐγγραφῇς.

satis ostendere mihi videtur, hoc tempore ejus descriptionem non adeo ad censum illum a Solone institutum pertinuisse, sed tabulas potius compositas esse eorum, qui ditiores viderentur. Quod ejusmodi erat negotium, ut singulos Senatores, qui in illo maxime versati essent, apud

populum laudem inde sibi petere, quod pecuniae istae facillime ac citissime exactae essent, etiamsi privati de illa re querelas agerent, nemini mirum videri possit, nec dubito quin illuc etiam ex parte referenda sit jactatio ista Cleonis, de pecuniis quibus aerarium ditasset. Illud vero quod eodem loco est *μεταιτεῖν*, ad ea pertinere credas, quae *ἐπιδόσεις* dicuntur, in quibus petendis si quando senatus illis opus esse decrevisset sine dubio multus fuerit Cleo, sive adiret tantummodo saepius ditiores, sive minis et sycophantiis, ut ita dicam, in aerarii commodum adhibitis, eos persequeretur.

Negari quidem nequit eadem agere potuisse Cleonem, ubi Senatorii muneris expers, privatus homo apud populum Senatumque auctoritate valeret, quod tum e loco isto de *εἰσφοραῖς* patet, tum inde quod id proprium esse, eorum, qui populo praeëssent, a personato Demosthene Eqq. 167 affirmatur ut potestatem habeant in carcerem conjiciendi et in custodiam dandi [1]). Tamen ut per Senatum illa agi debebant, fieri non potuit quin si quid laudis inde peteretur, ad Senatum illud pertineret, recteque igitur personatus Cleo imprimis de iis glorians inducitur, quae Senator egisset. De anno, quo Senatorio munere functus sit Cleo,

1) In praetorum quoque rebus Cleonem, quippe qui summa apud populum auctoritate valeret, eadem fere agere potuisse, ac si praeturam ipse gereret satis patet ex iis, quae isiciario minari eum videmus Eqq. 912 sqq. *ἐγώ σε ποιήσω τριηραρχεῖν, ἀναλίσκοντα τῶν σαυτοῦ κτέ*; eodem porro referri possunt ea, quae vs. 1369 sqq. leguntur.

ἔπειθ' ὁπλίτης ἐντεθεὶς ἐν καταλόγῳ
οὐδεὶς κατὰ σπουδὰς μετεγγραφήσεται.

parum mihi liquet, neque enim ex initio Acharnensium certi quid colligi posse arbitror. Suspiceris autem Cleonem, quippe qui ad Senatorium praesertim, quod gesserit, munus ea referat, quae in ditando aerario praestiterit inde initium duxisse ubi ad rempublicam administrandam populumque moderandum accederet, quod si verum sit statuendum videtur illi Senatui eum adfuisse, qui per alteram partem anni a. Chr. n. 428, primam sequentis anni partem, archonte Diotimo, hoc munere functus est, ac tributum extraordinarium primum describendum curare, de Mytilenaeis quum sese dedissent illi, consultum ferre debuit. Mancipis porro operam praestitisse Cleonem, nec illud parum valuisse ad gratiam ejus apud populum firmandam, nullo labore ostendi potest. Nimirum conviciis eum persequens *τελώνην* dicit Chorus Equitum vs. 248 et Isiciarius vs. 362.

ἀλλὰ σχελίδας ἐδηδοκὼς ὠνήσομαι μέταλλα.

Unde vectigalium redemtiones ceteraque quibus manceps quis fiebat, coram populo facta esse apparet, eum igitur qui tanti redimeret, ut omnes liberalitate superare videretur, populo gratissimum fuisse nullum dubium est.

Quaeri tamen potest, qui tandem illa ad Demagogos pertinere potuerint, pauperes, ut isiciarius iste, et ii, quos statim quis suspicaretur, fore ut deficerent ubi primum pensio numeranda foret. Scilicet impudentia ista, quae sola oratoribus praeësset, vectigalium etiam redemtoribus magni erat, et illis, ubi apud populum simul gratia valebant, vexationes tutius exercere licebat. Cavendum tantum erat ut

vectigalia illa vel ad solos divites pertinerent, quale metallorum illud, vel ad inquilinos, quos inprimis vexatos esse a Cleone suspicor, quum illa de peregrinis Eqq. 326:

ἢ σὺ πιϛεύων ἀμέλγεις τῶν ξένων τοὺς καρπίμους,

Ib. 1408:

ἵν' ἴδωσιν αὐτὸν, οἷς ἐλωβᾶθ', οἱ ξένοι.

vix minus recte ad illos quam ad solos socios referri possint. Patet inde, quomodo simul opprobrio esse potuerit nomen illud *τελώνης*, et rem ejusmodi qua populi gratiam quis captaret. Bonorum autem publicatorum emtionem. Eqq. 103:

ἐπίπαϛα λείξας δημιόπραθ' ὁ βάσκανος

per se ad Demagogos fere pertinere, qui de illis populiscita tulissent, facile quis videat.

Vectigalium redemtionem ex iis fuisse, quibus populi simul et suis commodis prospiceret Cleo, satis apparet. Praeterea inde fiebat ut militiae adstrictus non esset [1]), quod sine dubio iis, qui artibus potius demagogicis quam bellicis rebus auctoritatem sibi conciliare studebant, magni momenti erat. Et in Equitibus objici quidem videmus Cleoni *ἀϛϱάτειαν* vs. 443:

Σὺ δ' ἀϛϱατείας εἴκοσιν
κλοπῆς δὲ πλεῖν ἢ χιλίας. (*γραφὰς φεύξει* scil.)

ita vero ut sentiamus, gravissimam istam accusationem non fuisse ejusmodi, quae nullo modo repelli, populi igitur iram in Cleonem accendere posset, quum contra *κλοπὴ* ac *δωροδοκία* passim illi objiciantur.

---

1) Cf. Dem. in Neaeram p. 1354 *ἐωνημένος τὴν πεντηκοϛὴν τοῦ σίτου ἐν εἰρήνῃ .... καὶ οὔσης αὐτῷ ἀτελείας ἐκ τῶν νόμων.*

Quod bonorum publicationes memoravimus, id eo nos ducit, ut pancis videamus de altero, qui inprimis nobis tractandus est loco, de calumniis quibus et istas et alia consecutus sit Cleo, quamquam ea, quae de aerario ditando fecerit, nondum omnia attigimus, ex his vero multa cum altera illa quaestione cohaerent. Pertinebant istae calumniae ad tria fere capita, quod ii, qui rempublicam administrarent, pecunias inde subtraxissent, quod cives largitione corrupti, civitati male consuluissent, quod vel illi vel ii qui Atheniensium imperio snbjecti essent, contra civitatis salutem inter se conjurassent. Et variae quidem erant formae, quibus illa agebantur; ceterae, quae memorentur, *δειλίας* ac *ξενίας γραφαί*, ad jndicia pertinent, nec opus esse videtur ut de illis disputemus.

Qnod primo loco memoravimus calumniarum genus ad rationes a magistratibus reddendas totum pertinet. Res igitur coram judicibus agenda erat, eoque pertinet Vesparum locus de judicio Labetis canis, i. e. Lachetis, quem de stipendiis militum, qnibus in Sicilia praefuerat, detraxisse accusaverit Cleo. De judicii illius ratione postea videbimus, nunc tantum attuli tanquam exemplum eorum, quae in illis Cleo agere solebat. Queritur autem Aristophanes, ceteroquin nec ipse probitati eorum qui rempublicam administrabant, valde confidens, Cleonem *τὰ κοινὰ πρὶν λαχεῖν κατεσθίειν* (Eqq. 258) i. e., nt sequentia ostendunt de pecuniis publicis enm subtrahere, ante qnam ipse magistratus esset illaeque igitur ei commissae essent, observare enim illos, qui rationibus reddendis obnoxii

erant, ut calumniarum metu illos partem sibi traderc cogeret eorum quae peculati essent, vel etiam statim accusaret, ut bona publicata sibi cederent. Huc enim referri potest id quod de *ἀπράγμονι* illo ac *κεχηνότι*, quem e Chersoneso duxisset, memoratur vs. 261 sqq., quod Kortuemius Vir. Clar., satis mire, ni fallor, ita accipere videtur, quasi Athenienses qui Chersonesum aliosve locos Atheniensibus subditos habitabant, domum redire coëgisset, ut magistratibus fungerentur.

Illud fortasse latet in eo, quod est *ἀποσυκάζεις*, quod si incertius esse quis judicet, locum adeat in Vespis vs. 914 sqq.:

κοὐ μετέδωκ' αἰτοῦντί μοι κτέ.

Utrumque significari credas illis, quae leguntur in Equitibus, vs. 824 sq.:

καὶ τοὺς καυλοὺς
τῶν εὐθυνῶν ἐκκαυλίζων
καταβροχθίζει, κἀμφοῖν χειροῖν
μυστιλᾶται τῶν δημοσίων.

Alterum quod memoravi etiam ad rationes magistratibus reddendas pertinebat, ut verbi causa anno a. Chr. n. 424 praetores, qui classi in Siciliam missae praefecti erant, rei facti sunt quod *ἐξὸν αὐτοῖς τὰ ἐν Σικελίᾳ καταστρέψασθαι δώροις πεισθέντες ἀποχωρήσειαν*, Thuc. IV, 65. Praeterea talibus fere accusationibus coram populo contra adversarios utebatur Cleo, quippe quos non nisi donis corruptos eam, cui favebant, causam suam fecisse significabat. In Oratione praesertim, quam Cleoni tribuit Thucydides

his artibus utens inducitur, quas illi exprobrat adversarius Diodotus. Haec igitur inprimis pertinebant ad locum, quem in civitate sibi vindicabat Cleo, de quo antea egimus; in iis quae supra memoravi etiam ad incrementa attendi potest quae et aerarium publicum mulctis ac bonorum publicationibus et Cleonis res familiaris inde capere potuerit.

Pervenimus jam ad eas calumnias latissime omnium patentes, quae conjurationes spectabant. Etenim cetera, quae attigi, adhiberi non poterant nisi in republica administranda ac gerenda quis versaretur; conjurationis vero vestigia in quotidiana Atheniensium vita quaerere ac populo, in ditiores praesertim suspicaci, ita indicare ut in reos turbae cierentur non adeo difficile erat. Intentissimum sese fuisse conjurationibus in urbe detegendis personatus Cleo jactatur Eqq. 861 sqq.:

ὅϛις εἷς ὢν
ἔπαυσα τοὺς ξυνωμότας, καί μ' οὐ λέληθεν οὐδὲν
ἐν τῇ πόλει ξυνιϛάμενον, ἀλλ' εὐθέως κέκραγα.

Et jocosa quidem sunt ista in Eqq. vs. 237 sq.:

τουτὶ τί δρᾷ τὸ Χαλκιδικὸν ποτήριον;
οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ Χαλκιδέας ἀφίϛατον.

ac Bdelycleonis illa Vespp. 488 sq.:

ὡς ἅπανθ' ὑμῖν τυραννίς ἐϛι καὶ ξυνωμόται κτέ.

satis vero inde patet, levissimis argumentis saepe nixas esse conjurationis istas accusationes. Duo praesertim ex Aristophanis fabulis de hac re statui posse videntur, tum quod conjurationi tribuere fere solebat, si in republica ipse

offenderet e. g. Eqq. 257:

παραβοηθεῖθ', ὡς ὑπ' ἀνδρῶν τύπτομαι ξυνωμοτῶν,

tum quod in illis, ut sua firmaret, historicis, ut ita dicam, fictis verisve argumentis, e genere eorum, quos accusabat, petitis, utebatur, quod sine dubio Athenis plurimum valebat, e. g. Eqq. 445 sq.:

ἐκ τῶν ἀλιτηρίων σέ φη-
μι γεγονέναι τῶν τῆς θεοῦ.

Accusationes istas ad Senatum pertinere ex Eqq. 475 sqq. ceteraque in eadem fabula de Cleonis in Senatu actis narratione satis apparet. Nec dubito quin ad illas praesertim referendum sit illud, quod ad Cleonis sycophantiam pertinere videtur Eqq. 264 sqq.:

καὶ σκοπεῖς γε τῶν πολιτῶν ὅςις ἐςὶν ἀμνοκῶν
πλούσιος καὶ μὴ πονηρὸς καὶ τρέμων τὰ πράγματα.

Haec omnia ad cives eaque quae illi vel inter se, vel cum hoste, vel cum Atheniensium subditis cum civitatis damno agerent. Jam pergendum est ad turbas ac calumnias, quas in hos egerit Cleo. Quaestio vero illa non versatur in meris artibus demagogicis; id maximi momenti erat Atheniensibus, ut imperium, quod sibi comparaverant, retinerent, pecuniaeque inde quam plurimum rediret. Et alterum quidem magnam eorum, qui in republica versabantur, curam postulare, e Chalcidensium Lesbiorumque defectionibus iisque, quae in Thraciae oris Brasidas, in Jonia post cladem in Sicilia Atheniensibus allatam, Alcibiades egit, luculenter apparet; idem vero Demagogorum calumniis malisque artibus, prae omnibus fere quae in

6

Atheniensium civitate agebantur, ansam dare, nemo dubitet. Distinguenda igitur sunt ea, quae, sociorum rebus re vera turbatis, ab iis quae ipse turbas concitans, de illis egerit Cleo, quamqnam saepius incertiora ista videantnr. In iis, quae tributnm spectabant, opera eorum, qui rempublicam Atheniensium gerebant, ad ejus vel descriptionem vel exactionem pertinere poterat. Ita quidem rem distinguendam esse putes, in aequalinm vero scriptis haec omnia saepius ita traduntur, ut intellectu difficilia videantur.

Ordiamur autem ab iis, quae certissima hsbenda sunt, Cleonis de Lesbiis ac Scionaeis consiliis. Apparet ex iis, qnae Thucydides coram popnlo dicentem enm fingit et quasi absolvit in fine Orationis his verbis: *κολάσατε δὲ ἀξίως τούτους τε, καὶ τοῖς ξυμμάχοις παράδειγμα σαφὲς καταςήσατε, ὃς ἂν ἀφιςῆται, θανάτῳ ζημιωσόμενον* (III, 40), Cleonem in ea sententia versatum esse, sive ut civitatis sive ut suis commodis prospiceret ut terrore comprimendos esse socios censeret, qnum contra adversarii saevitiam istam, in eos qui defecissent, reprehendendam, omnes vero vires intendendas esse censebant, ut ceteras defectiones praevenirent Athenienses. Qua in re cetera quidem parvì momenti esse videntur, eo vero attendendum, qnod versus finem Orationis Diodotum afferentem fingit Thucydides III. 47, *νῦν μὲν γὰρ ὑμῖν ὁ δῆμος ἐν πάσαις ταῖς πολεσιν εὔνους ἐςὶ, καὶ ἢ οὐ ξυναφίςαται τοῖς ὀλίγοις, ἢ ἐὰν βιασθῇ ὑπάρχει τοῖς ἀποςήσασι πολέμιος εὐθὺς*, eaque quae seqnuntur usque ad *τοῖς τε ἀδικοῦσιν ὁμοίως κεῖσθαι καὶ τοῖς μή*. Haec

verissime esse disputata, neminem latet, qui belli Peloponnesiaci hestoriam noverit, et constat praeterea Lesbios post cladem, quam in Sicilia passi erant Athenienses, defecisse quidem nec tamen magnas molestias illis suscitavisse.

Haec vero quaestionem non dirimunt, quae de hac re agitari possit, utrum Atheniensium commodis consuluerit Cleo, quum ista suaderet, nec ne. Etenim Alcibiadem, quem jure summi ingenii et consilii virum dixeris, eadem de Meliis protulisse, quae de Lesbiis ac Scionaeis Cleo, tradunt et Plutarchus in vita Cap. XVI et Pseudo-Andocides contra Alcibiadem pag. 123; nec video quid mali Scionaeorum et Meliorum fata Atheniensibus peperisse habenda sint. Haec vero ut recte exponantur ac dijudicentur, majorem rerum Graecarum notitiam postulare mihi videntur, quam ut penitius in illa me demittere audeam. Id vero pro certo haberi potest, si suum quaesiverit Cleo in suadendis istis de Lesbiis ac Scionaeis, optime eum suis commodis prospexisse; licet enim dubitetur an reipublicae salus postulaverit, ut solo terrore comprimerentur sociorum contra Athenienses machinationes, satis apparet ut populi moderatoribus operam darent, et omni modo eos sibi conciliare studerent, nihil majoris esse quam ut re vera illos timerent. Quod si tenemus, facile cum illa agendi ratione componere possumus ea, quae de Cleone, socios opulentiores conspirationis criminibus persequente, ut illi donis ipsum placare cogerentur, notissimo illo Pacis loco tradit Aristophanes vs. 639 sqq., ubi cave ne

illud *ὡς φρονεῖ τὰ Βρασίδου* urgeas, nam sine dubio ante Brasidae res gestas eadem egisse censendus est Cleo. Et eo processit Cleonis in illis rebus lucri cupido, ut non tantum universe ejus in socios irae obsequio placandae essent, quod fere ad mores eorum, qui Atheniensium reipublicae praeërant, pertinere significat Thucydides III, 11. *ἀπὸ θεραπείας τοῦ τε κοινοῦ αὐτῶν (τῶν Ἀθηναίων) καὶ τῶν ἀεὶ προεστώτων περιεγιγνόμεθα (οἱ ξύμμαχοι)*, sed ad certa consilia ferenda de sociorum rebus ab illis, pecunia data, impelli posset. Cf. Aristoph. Eqq. 930 sqq.:

σὲ δὲ
γνώμην ἐρεῖν μέλλοντα περὶ
Μιλησίων καὶ κερδανεῖν
τάλαντον, ἣν κατεργάσῃ.

Haec autem minus jam pertinent ad Cleonis de sociis defectionem molientibus calumnias, at potius ad ea referri possunt, quae de rebus vere agendis suaserit, qualia ea sunt, quae ad tributum pertinebant. Quo inprimis attendisse Cleonem Aristophanes auctor est Eqq. 313:

κἀπὸ τῶν πετρῶν ἄνωθεν τοὺς φόρους θυννοσκοπῶν.

Manca autem et obscuriora ea sunt, quae de hac re ex Aristophanis fabulis colligi possunt, quapropter pauca praemonenda esse videntur.

Constat tributa, quae Atheniensium sociis pendenda erant, primum descripta esse ab Aristide, qui eorum summam CCCCLX talentorum esse voluit Thuc. I, 96, initio autem belli Peloponnesiaci DC talentorum eam fuisse Thucydides II, 13, nos docet; per bellum vero intra paucos

annos magnopere auctum esse e loco praesertim ex Aristophanis Vespis apparet, vs. 660:

τούτων πλήρωμα τάλαντ' ἐγγὺς δισχίλια γίγνεται ἡμῖν· [1])

et Andocides quidem de pace p. 93, Aeschines de falsa legatione p. 337, MCC talentorum fuisse tradunt, Plutarchus Arist. XXIV, MCCC. — Inde vero quod primo belli Peloponnesiaci anno tributorum summam CXL talentis auctam esse videmus, nondum colligere licet, novam descriptionem tributorum institutam esse; aliquot enim civitates interea ad tributa pendenda coactas esse Thucydidis aliorumque testimonio constat. Post Aristidis illam tributi descriptionem, novam factam esse ab Alcibiade novemque aliis, quibus illud ab Atheniensibus mandatum esset, Pseudo-Andocides contra Alcib. p. 116 tradit, cujus ratio si vel probetur, nihil tamen impedit quominus statuatur, jam ante novam descriptionem, singularum civitatum tributa, suadentibus iis, qui post mortem Periclis rempublicam administrabant, saepius ab illis aucta esse, et pecuniarum collectionibus, quae aliquoties apud Thucydidem a praetoribus Atheniensium factae memorantur, saepe ita in civitatis suaque commoda usos esse illos, ut nova ista descriptio onus, quod sociis incumbebat, non adeo auxerit. Cui vero ratio ista personati Andocidis non urgenda nec illud probabile esse videtur, inde ab Aristide usque ad Alcibiadis tempora tributorum descriptionem intactam mansisse, illi maximi momenti est locus in Xenophontis

1) Redituum publicorum scil.

de Republica Atheuieusium libello III, 5, ubi morae memorantur, quas rebus agendis civitatis ratio afferat; *τὸ δὲ μέγιϛον*, inquit, *εἴρηται, πλὴν αἱ τάξεις τοῦ φόρου· τοῦτο δὲ γίγνεται ὡς τὰ πολλὰ δι᾽ ἔτους πέμπτου*. Quae si ad Cleonis etiam aetatem pertinent, dubitari nequit quin *τάξεις* istae *τοῦ φόρου* et huic et si quis alius eadem ageret, prae ceteris omnibus ansam dare debuerint ad populi simul gratiam captandam suisque rebus prospicieudum. Fac autem morem illum ab illa inde tributorum descriptione ducendum esse, de qua personatus Andocides egit, illam vero simul cum Deliorum festi, quod quinto quoque anno agebatur, institutione, anno 425 ante Chr. n. (nam Deli lustratio hieme, quae annorum 426 et 425 ante Chr. n. erat locum habuit, festum post illam actum est Thuc. III, 104,) factam esse, locns iste Xenophonteus jam a nostra re alienus esse videbitur. Nec equidem is sum, qni de quaestione ista certi quid statuere posse mihi videar.

Redeamus ad Aristophanem. Nullum in ejus fabulis locum novi, ubi Cleonis in tributo describendo opera distincte memoratur. In pecuniis vero a sociis exigendis versatum esse Cleonem, isiciarii verba docent Eqq. 1070 sq.:

. . . *ναῦς ἑκάϛοτε*,

αἰτεῖ ταχείας ἀργυρολόγους οὑτοσί.

Nec tamen illa prorsus expedita sunt; Thucydides enim nonnisi *ϛρατηγοὺς* memorat, qui expeditionibus ad colligendas pecunias susceptis praefuerint, quo munere Cleo non ante annum 425 a. Chr. n. functus est. An de solis iis

cogitandum est, quae hujus anni hieme egerit Cleo? Obstat, ni fallor, id quod est *ἑκάϛοτε*. Mihi quidem ista non liquere fateor. Venio ad locum obscurum qui est in Vespis vs. 669 sqq. Questus erat Philo-Cleo, ne decimam quidem redituum publicorum partem in judicum usum impendi; patri roganti, quid tandem de cetera pecunia fieret, demagogis cedere responderat filius et tua, inquit, culpa illud fit, qui hos tibi praeficias (quod an ad munera, quibus illi fungerentur, referendum sit, dubium videtur), tum sic pergit:

κᾆθ' οὗτοι μὲν δωροδοκοῦσιν κατὰ πεντήκοντα τάλαντα
ἀπὸ τῶν πόλεων, ἐπαπειλοῦντες τοιαυτὶ κἀναφοβοῦντες,
δώσετε τὸν φόρον, ἢ βροντήσας τὴν πόλιν ὑμῶν ἀνατρέψω.

Cleonem principem fuisse eorum, qui vs. 666 memorantur, vix dubites. Gravissimis autem difficultatibus hic locus premitur. Etenim si e certis illis Atheniensium civitatis reditibus populi moderatoribus quid cedebat, peculatui illud tribuendum erat, quo de pecunia ad certa negotia gerenda illis data partem detraherent, at poëta *δωροδοκίαν* illis objicit. Porro, quaenam sunt minae illae, urbem eversum iri, nisi tributa pendantur? Demagogis non opus erat, ut debita solvere socii ab Atheniensibus cogerentur. An id voluit poëta, demagogos a sociorum civitatibus petere ut sibi traderentur ea, quae Atheniensium civitati pendenda erant? Hac quidem ratione difficultates tolli videntur, ac prope abessem ut eam probarem, quamquam fatendum esset, subabsurda proferre poëtam, nisi illud quod est *δώσετε τὸν φόρον* vix isto modo explicari posse arbitrarer. Dubium igitur mihi videtur quo locus iste pertineat.

Videamus de loco ex Acharnensibus vs. 5 sqq.:

ἐγῷδ' ἐφ' ᾧ γε τὸ κέαρ εὐφράνθην ἰδὼν,
τοῖς πέντε ταλάντοις οἷς Κλέων ἐξήμεσεν.
ταῦθ' ὡς ἐγανώθην, καὶ φιλῶ τοὺς ἱππέας
διὰ τοῦτο τοὔργον.

De quo loco plura quaeri possunt. Ante omnia tenendum est, et alios ex Aristophanis fabulis locos ostendere, Cleonem et Equites infesto sibi invicem animo fuisse, et inde quod *ταραξιππόστρατον* cum dicit Chorus Equitum patere, eum in Republica gerenda certis consiliis eos petivisse.

In Scholiis duobus, ad Equitum istam cum Cleone simultatem pertinentibus, Theopompum laudari videmus, et quidem, ut ex altero ad Eqq. 226 apparet Philippicorum ejus librum decimum. Traditur ibi, Cleonem Equitum contumeliis irritatum fuisse, ubi ad rempublicam accederet, et inde ab eo tempore mala in illos machinari non desiisse, *λιποστρατίου* maculam illis adspergentem. In altero Scholio ad Acharnensium vs. 7, Aristophanea illa, quae attuli, ad litem Cleoni ab Equitibus, quos offendisset, intentatam referuntur, quod ab insulanis pro auxiliis in levando illis tributo praestandis quinque talenta accepisset. De his pauca quaedam animadvertenda habeo.

Quaenam fuerit causa Cleonis in Equites infesti animi non liquet. An quod ut minus idoneus a magistro Equitum, faventibus illis, ex eorum numero exauctoratus fuerit? Scholiasta quidem ad Eqq. vs. 225, *ὅτι εἷς ἦν αὐτῶν*, inquit, *κακῶς διέθηκεν*; sed haec mera conjectura esse

videtur. Quod vero ad artes attinet, quibus Equites vexaverit ille, non sine causa ad Senatorium, quo functus sit, munus illas referendas esse conjicias; constat enim Equitatus curam inprimus Senatui mandatam fuisse [1]), nec obstant Theopompi illa, quum λιποςρατίου ista accusatio vix ad lites in singulos Equites a Cleone intentatas, potius eo referenda esse videatur, quod Equites domi otium agere quereretur, ceteris civibus bellis transmarinis occupatis ac propterea a stipendiis ceterisque quae in Equitatum alendum impenderentur detrahere conaretur. Cui rationi inprimis favent Aristophanea illa, quae supra jam attuli, ἃ ξυνισμεν τοῖσιν ἵπποις κτέ Eqq. 595 sqq. Quod si quis tenens locum illum ex Acharnensibus legeret, nec Scholiastam adiret, vix dubito fore ut is omnia ista ad litem referret, Cleoni intentatam ubi Senatorii muneris rationes reddendae ipsi erant, quod scilicet in Equites male consuluisset legesque, quae eo spectarent, violasset.

Nec fere opus est ut moneam, si vel Archonte Diotimo Senator fuerit Cleo, causam illam agi potuisse Archonte demum Euthyno. At si quis Scholiastae auctoritatem secutus δωροδοκίας litem Cleoni intentatam esse credit, illi eo, opinor, confugiendum est, ut unum alterumve e notissimis Equitibus, ita ut de vera litis intentatae causa nemo dubitare possit, eam Cleoni intentasse perhibeat. Fatendum quidem est, id quod in Aristophaneis est ἐξήμεσεν aptius referri ad ea, quae propter peculatus donive cum reipublicae damno

---

1) Cf. Xenoph. de officio Mag. Equit. Cap. I, § 8.

accepti crimen solvere coactus esset Cleo, quam ad multam, quae illi imposita esset. Cf. Eqq. 1147 sqq.:

ἔπειτ' ἀναγ-
κάζω πάλιν ἐξεμεῖν
ἅττ'ἂν κεκλόφωσί μου
κημὸν καταμηλῶν.

Falsam vero Scholiastae rationem esse apparet, si quidem recte perhibent VV. DD. infamia notari eos, qui donis sese corrumpi passi essent. Quod tamen in dubium vocari posse mihi videtur propter Lysiae illa, quac leguntur versus finem Apologiae de crimine largitionum, ἡγουμένους ἡμῖν μὲν δεινὸν, ὑμῖν δε αἰσχρὸν εἶναι, εἰ ἀναγκασθησόμεθα ἐπὶ τοιαύταις αἰτίαις ἄτιμοι γενέσθαι ἢ ςερηθέντες τῶν ὑπαρχόντων πένητες εἶναι;· ubi enim vel infamem vel pauperem sese futurum esse dicit reus, fieri vix potest quin infamia eos tantum notatos esse credamus, qui δωροδοκίας damnati, debita non solvissent. Praeterea conferri potest Thucydides Lib. IV, 65: τοὺς μὲν φυγῇ ἐζημίωσαν, ... τὸν δὲ τρίτον Εὐρυμέδοντα χρήματα ἐπράξαντο, ὡς ἐξὸν αὐτοῖς τὰ ἐν Σικελίᾳ καταςρέψασθαι δώροις πεισθέντες ἀποχωρήσειαν, Eurymedontem enim postea praeturam gessisse notum est.

Erroris praeterea argui videtur Scholiasta ad Acharnenses, quod non sit probabile, si quinque talenta ab insulanis accepisset Cleo, nonuisi illa reipublicae cessisse, quum vel decupli poenam illis irrogari, qui δωροδοκίας convicti essent Dinarchus tradit contra Demosth. p. 44. Et factum esse potest, ut Scholiasta Aristophanis locum

de suo explicaverit, Theopompum vero laudaverit, quod illum de simultate Cleonis cum equitibus agere sciret. Quare Cleonem *δωροδοκίας* accusatum, propter Equitum in eum iram, ac damnatum esse non puto pro certo affirmari posse nec vero negare illud ausim.

Id ipsum vero ostendit, me non eum esse, qui Cleonem *κλέπτην* et *δωροδόκον* fuisse certis argumentis probari posse arbitrer, quum praesertim Aeliani illum locum, quem initio hujus dissertationis attuli, non tanti esse putem, ut inde certi quid colligi possit. Id vero tenendum puto, Athenienses in ea fere opinione versari solitos esse, ut eos, qui rempublicam administrarent, inde magnas sibi opes comparare crederent; Cf. Lysias pro bonis Aristoph. *Κλεοφῶντα δὲ πάντες ἴςε, ὅτι πολλὰ ἔτη διεχείρισε τὰ τῆς πόλεως πάντα, καὶ προσεδοκᾶτο πολλὰ ἐκ τῆς ἀρχῆς ἔχειν*, qui sane non, ut comicus suspicioni obnoxius est quod omnia jocandi causa in majus auxerit. Nemo igitur miretur, Aristophanem vel cuivis Atheniensium, sine civium offensione, ista objicere potuisse. Sed quid quaeso id sibi vellet, quod Cleo glorians inducitur, sese libenter furta sua confiteri, ceteris denegantibus, Eqq. 296:

ὁμολογῶ κλέπτειν· σὺ δ' οὐχί.

nisi re vera ea fuisset impudentia, ut non multum abesset, quin communi eorum, qui rempublicam gererent, vitio sese laborare, id ne obtegere quidem dignaretur.

Superest ut paucissimis verbis ea attingam, quae in superiore disputatione omisi. Quod prostitutioni finem imposuisse jactatur Eqq. 877:

ἔπαυσα τοὺς βινουμένους, τὸν Γρύττον ἐξαλείψας.

apte comparari potest cum iis quae contra conjuratos perpetrabat, plebis enim patroni partes agebat, sive in eos saeviret, qui malis moribus illam offenderent, sive in eos, qui illam loco, quem in civitate teneret, depellere conarentur. Quis fuerit Gryttus, nemo, opinor, facile dixerit; ne nomen quidem usquam me invenire memini, quod si quis vel cognominis loco habendum, vel in Gryllum mutandum esse contendat, non obsto. Scholiastae et alia ineptissima quaedam tradunt et illud, capitis damnatum esse Gryttum istum; *ἑταιρήσεως* litem illi intendisse Cleonem, unde infamia notatus evaserit, equidem nullus dubito; quod si verum est, *ἐξαλείφειν* illud ad nomen e tabulis ecclesiasticis erasum referri poterit [1]).

Porro de urbis munitione aliquando egisse Cleonem locus in Equitibus vs. 817 sqq. ostendit,

σὺ δ' Ἀθηναίους ἐζήτησας μικροπολίτας ἀποφῆναι
διατειχίζων καὶ χρησμῳδῶν.

De quo vix certi quid statui poterit, nec commemorassem fortase locum illum, nisi vidissem, perperam hunc a nonnullis referri ad ea, quae a Thucydide II, 94, memorantur. Nimirum et haec ad Periclis tempora pertinent et nullo modo de urbe munienda, de Piraeëi tantum portibus custodiendis hoc loco agitur: *καὶ μετὰ τοῦτο φυλακὴν*

---

1) Mortis quidem poena plecti τοὺς ἡταιρηκότας si certis muneribus fungerentur, certos locos adirent, ex Aeschinis contra Timarchum Orat. constat. An vero huc referri possit id quod est ἐξαλείφειν, vehementer dubito.

ἅμα τοῦ Πειραιῶς μᾶλλον τὸ λοιπὸν ἐποιοῦντο, λιμένων τε κλήσει καὶ τῇ ἄλλῃ ἐπιμελείᾳ. Et Cleonis quidem in republica gerenda partibus omnino convenit, omnia eum gessisse ut Athenarum urbs facillime defendi posset, quippe quod cives cum bello quasi conciliaret; eum vero id sibi proposuisse, ut si vel Piraeëus captus esset, urbs defendi posset, illud vix intelligo quomodo cuiquam in mentem venire potuerit, quum certissimum sit, Athenis a mari disjunctis, fore ut neque civitas imperium, neque igitur Cleo ea retineret, unde pleraque illi commoda profluerent, quae in republica gerenda capere posset.

Legati munere functum esse Cleonem ex uno Equitum loco colligi potest vs. 465 sqq.:

Οὔκουν ἐν Ἄργει μ' οἷα πράττει λανθάνει
πρόφασιν μὲν Ἀργείους φίλους ἡμῖν ποιεῖ
ἰδίᾳ δ' ἐκεῖ Λακεδαιμονίοις ξυγγίγνεται.

Haec vero quo pertinere mihi videantur in sequenti capite exponam, nec fere Demagogi erat, ut legationibus, nisi certae ipsius rebus essent utilitati, operam daret.



CAPUT OCTAVUM.



Ultimo loco de iis agendum est, quae in reliqua vita post Sphacteriae expugnationem, quae ad summum illum in civitate locum evexit, egerit Cleo. Initium ducendum est ab ipsa illa expugnatione, quae quando facta sit, ideo accuratius definiendum esse videtur, quod inde de cetera quoque Cleonis vita quaedam statui posse putem.

Huc pertinet locus ex Aristophanis Nubibus, vs. 581 sqq.:

εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην Παφλαγόνα
ἡνίχ᾽ ᾑρεῖσθε ϛρατηγόν, τὰς ὀφρῦς συνήγομεν
κἀποιοῦμεν δεινά· βροντὴ δ᾽ ἐῤῥάγη δι᾽ ἀϛράπης·
ἡ σελήνη δ᾽ ἐξέλειπε τὰς ὁδούς· ὁ δ᾽ ἥλιος
τὴν θρυαλλίδ᾽ εἰς ἑαυτὸν εὐθέως ξυνελκύσας
οὐ φανεῖν ἔφασκεν ὑμῖν, εἰ ϛρατηγήσει Κλέων.

Nonnulli inde colligi posse putant, Cleonem post lunae defectum, qui, teste Scholiasta ad vs. 584, mense Boëdromione ejus anni quo Stratocles Archon fuit [1]) locum habuit, praetorem creatum esse. Proelium igitur quod a

---

1) Ol. 88,4, mense Sept. anni a. Chr. n. 425.

Thucydide IV, 11 sqq., memoratur ejusdem anni initio commissum esse statuendum esset, nam inter Cleonis electionem et Sphacteriae expugnationem aliquot dies intercessisse patet; haec autem teste Thucydide IV, 39, LXXII diebus post proelium illud locum habuit. Qnod si vel concedamns pugnam, servata illa ratione, extremo mense Scirophorione [1]) superioris anni potuisse committi, Lacedaemoniorum tamen legatio Stratoclis anno adscribenda esset, quae non nisi circa vigesimum post proelium diem Lacedemonem redierit, Thuc. l.l. cf. IV, 23: ἀφικομένων δ' αὐτῶν διελύοντο εὐθὺς αἱ σπονδαὶ αἱ περὶ Πύλον. Hanc autem temporis constitnendi rationem multis premi difficultatibus, facile demonstrari potest. Etenim Lacedaemoniorum anni a. Chr. n. 425 in Atticam invasio et solito maturins facta est [2]), et quindecim tantum dies duravit [3]), nec multo post proelium commissum esse potest. Niciae autem expeditio a Thucydide IV, 42—45 memorata, non ita brevis illa, qunm post praelium in agro Corinthio commissum Methonen munierit, et aliquot certe diebus post Sphacteriae expngnationem suscepta, (nam nec probabile est nec e Thucydidis illis IV, 42: μετὰ ταῦτα εὐθὺς colligi potest, nova agitata esse, antequam de Pylo custodienda consilium cepissent et exsecnti essent Athenienses) vix ad aestatem pertinere potest, si statuendum sit, Boëdromione mense omnia commissa esse, quae inde a Cap.

1) m. Junio Julian. anni a Chr. n. 425.
2) Thuc. IV, 2.
3) Ibid. 6.

28 ad 39 a Thucydide narrantur. Denique Philochorus a Scholiasta ad Lucian. Timon. laudatus, ea quae ad pacis conditiones a Lacedaemoniis propositas pertinent Enthydemi [1]) anno adscribit.

Statuendum igitur esse videtur Aristophanea illa de lunae defectu non ita esse accipienda, nt inde colligi possit, post illum Cleonem praetorem creatum esse; quod ne ulla quidem difficultate laborare videtur, in re enim quae anno et aliquot mensibus ante actam fabulam accidit, ubi tempora constituenda essent paulo negligentiori esse licuit poëtae. Propterea vero in illis exponendis longior fui, quod, si vera vidissent illi, qnorum rationes refutare conatus sum, solis defectum, quem vs. 584 attigit Aristophanes, et ad ineuntem aestatem anni ante Chr. n. 424 referendum esse Thncydides docet IV, 52, eodem a poëta referri, qno lunae illum, minns probabile futurum fuisset, de praetura igitur iterum Cleoni mandata accipiendum esset.

Mihi autem cur inde a Sphacteria expngnata usque ad annum ante Chr. n. 422 praeturam non gessisse Cleo videatur, paucis indicare lubet.

Est quidem locus Plutarchi, unde conficias, post res ad Pylum feliciter gestas, bellicis praesertim rebus operam dedisse Cleonem, Reip. gerend. Praecept. XV: *ὁ δ'ἀπληςίᾳ δόξης ἢ δυνάμεως πᾶσαν ἑαυτῷ τὴν πόλιν ἀνατιθεὶς, καὶ πρὸς ὃ μὴ πέφυκε μηδ' ἤσκηται προσάγων αὑτὸν, ὡς Κλέων*

1) Legendum est Euthyni, nam hoc Archontis Ol. 88,3, nomen esse constat auctoritate inscriptionis, quam ante hos 12 annos edidit Rossius.

πρὸς τὸ ϛρατηγεῖν..... οὐκ ἔχει παραίτησιν ἁμαρτάνων. Ex iis vero, quae etiam nobis de Cleonis vita supersunt monumenta, facile tale quid colligere potuit Plutarchus, vir doctrinae potius copia scribendique facilitate quam judicio insignis. Praeturam, qua quum fungeretur Sphacteriam expugnavit, non suscepisset, nisi Nicias populusque eum quasi coëgissent; in altera, eo duce, expeditione suscepta, ipse quidem ut sibi praetoris munus traderetur, populo persuasisse dicitur (Thuc. V, 2), causam vero prorsus singularem cogitari posse, cur hoc tempore praetura illi petenda esset, mox videbimus.

In ceteris, quae, post Sphacteriae expugnationem, contra Peloponnesios gesta esse tradit Thucydides, nusquam Cleonem memorat, eaque, quae de Cleonis in expeditione contra Amphipolin habitu dicit V, 7: *ἐχρήσατο τῷ τρόπῳ, ᾧπερ καὶ ἐς τὴν Πύλον εὐτυχήσας ἐπίϛευσέ τι φρονεῖν*, suspicionem movent, rebus bellicis inde a tempore quo Pyli rem gessisset, nullam operam dedisse Cleonem. Quod si a majoribus igitur expeditionibus ducendis abstinuisse censendus sit, vix probabile dici potest, eum, summa auctoritate apud populum valentem, praeturam petivisse, in qua gerenda nihil memorabile praestiturus esset [1]).

---

1) An Cleo expeditionem istam in Euboeam, Archonte Isarcho, teste Philochoro apud Scholiastam ad Vespp. vs. 718, susceptam, cujus nullam facit mentionem Thucydides, duxisse putandus est? At de ipsa expeditione vehementer dubito, quum praesertim in iis, quae statim sequuntur, tempora turbet Scholiasta et e Scholiis ad Nubb. vs. 213. constet, expeditionem a Pericle contra Euboeënses anno a. Chr. n. 445 susceptam a Philochoro memorari.

A Sphacteriae inde expugnatione usque ad sequentis anni 424 ante Chr. n. auctumnum, bellum contra Peloponnesios felicissime gerebant Athenienses, pacemque saepius illis a Lacedaemoniis oblatam semper repellebant IV, 41, quod Cleonis etiam auctoritati tribuendum esse nemo dubitet. Ceterum ad ea, quae hoc tempore gessit, Aristophanis duo pertinent loci, Eqq. 393, sq.:

νῦν δὲ τοὺς στάχυς ἐκείνους, οὓς ἐκεῖθεν ἤγαγεν,
ἐν ξύλῳ δήσας ἀφαύει κἀποδόσθαι βούλεται.

et vs. 465, sq.:

Οὔκουν ἐν Ἄργει μ᾽οἷα πράττει λανθάνει κτλ.
.... ἐπὶ γὰρ τοῖς δεδεμένοις χαλκεύεται.

Quae non defore credo qui eodem spectare credant, scilicet id ipsum ab Aristophane populo significari Cleonem de captivis Lacedaemoniorum civitati reddendis clam cum illis egisse; Cf. Schol. ad ill. locum: *Φησὶν οὖν, τοὺς ἄνδρας ἐκείνους, οὓς δήσας ἤγαγεν, ἀφεῖναι νῦν καὶ ἀπολῦσαι διανοεῖται.* Quod tamen dubito an recte quis statuere possit. Etenim probabile videtur, revera eo pertinuisse Cleonis cum Argivis negotia, demagogi cum civitate ad popularem rationem exacta, ut illos ad bellum contra Lacedaemonios suscipiendum et societatem cum Atheniensibus ineundam impelleret, quod si vel nunc non ita facile fieri posset, intra paucos annos, Argivorum cum Lacedaemoniis induciis tricennalibus finitis, factum iri, dummodo antea res ab utraque parte composita esset, non sine causa Athenis credi poterat. Et isiciarii personae, loco illo, ubi Cleonem iis, quae de amicitia Argivos inter et

Athenienses componenda ageret, praetcxtu uti praedicat, convenit, ni fallor, ut absurda potius quam veri similia Cleoui objiciat. Praeterea, quid facias isto *ἐν ξύλῳ δήσας ἀφαύει*, si de captivis reddendis sermo esset? Suspicor vendcudos potius illos aliquando contendisse et ignominia affecisse Cleonem, ut talibus suadendis Atheniensium in Lacedaemonios animos magis magisque incenderet. Quamquam nec illud probem, plebiscitum de vendendis captivis tulisse Cleonem si quis dixerit, ipsius enim, opinor, commodum postulasse censendum est ut illi Athenis in carcere manerent.

Proxima vero hieme et Brasidas in Thraciae vicinis regionibus feliciter rem gerere coeperat, et prope Delium gravissima clade Athenienses affecti sunt [1]). Quare ineunte anno 423 ante Chr. n. [2]) Lacedaemoniis annuas inducias, per quas de pace ageretur litesque omnes arbitrio componendae essent, petentibus satisfecerunt. Quod signum manifestum imminutae Cleonis apud populum auctoritatis habendum esse videtur, quippe qua praesertim ad pacem prohibendam usus sit. Mox vero ea secuta sunt, quae Cleoni omnino favisse nemo dubitet, eoque locum illum Vesparum referendum esse credas, vs. 62 sq.:

οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.

Indueiis enim pactis quidem sed nondum in regionibus

1) Cf. Thuc. IV, 89 sqq.
2) Ol. 89, 1, mensis Elaphebolionis die XIV. Ibid. 117.

ubi Brasidas bellum gerebat promulgatis, Scione in Pallene peninsula ad eum defecerat, neque illam reddere voluit Brasidas. Quod aegre ferentes Athenienses nec Lacedaemoniis dicto audientes fuerunt, ad arbitrium ex induciarum formula provocantibus et Scionem statim aggredi decreverunt. Hoc autem Cleone suadente factum esse, nullus dubito, quippe quem plebiscitum de Scionaeis e sedibus suis evertendis et interimendis tulisse tradit Thucydides IV, 122; et sine dubio occasionem illam arripuit, ut in Lacedaemonios, ne induciis quidem pactis ab Atheniensium rebus carpendis abstinentes, civium animos incenderet. Paullo post increvit Atheniensium ira, Mendaeis etiam, incolis urbis quae Scionae vicina erat, ad Brasidam deficientibus. Itaque copiae missae sunt, quae brevi tempore Mendam sub Atheniensium potestatem redegerunt ac Scionem vallo circumdederunt.

Nec lis ista, Lacheti paulo post, certe ante Lenaea, quae Aminia Archonte acta sunt [1]), a Cleone intentata parum valuisse censenda est ad pacis fautores Cleonisque igitur adversarios deprimendos. Laches enim plebiscitum de induciis tulerat [2]) et quamquam iu judicio absolutum eum esse e loco Vesparum, qui eo pertinet, apparet, ex eodem illo loco colligi potest ne Aristophanem quidem pacis amantissimum et Lachetis igitur hoc tempore studiosissimum, omni culpa eum absolvere. contigisse igitur Cleoni

1) Cf. Vespp. argumentum.
2) Cf. Thucyd. IV, 118.

ut civibus persuaderet suum in republica adversarium cum civitatis damno suis rebus prospexisse.

De ipsa lite pauca addam, quod nonnullis ista minus liquere video. Etenim recte quidem illa referunt ad ea, quae inde ab anno 427 ante Chr. n. usque ad ineuntem annum 425 in Sicilia gessit Laches, haerent vero in eo, quod causa, tribus annis post Lachetem e Sicilia revocatum, acta est. Id ipsum vero facile intelligi posse credo, dummodo attendatur ad ea, quae a Thucydide V, 4 traduntur de legatione in Siciliam missa quae Leontinorum res ibi curaret. Satis enim liquido e Vesparum isto loco apparet, peculatus accusatum esse Lachetem; nam neque illud *εἰ δ' ὑφείλετο* vs. 958, neque ipsa, opinor, accusationis formula vs. 894 sqq.:

. . . . Ἐγράψατο
κύων Κυδαθηναιεὺς Λάβητ' Αἰξωνέα
τὸν τυρὸν ἀδικεῖν ὅτι μόνος κατήσθιε
τὸν Σικελικόν.

ad *δωροδοκίας* accusationem referri possunt. At quid illud, quaeras, vs. 964:

Ἀπόκριναι σαφῶς,
εἰ μὴ κατέκνησας τοῖς στρατιώταις ἄλαβες;
Φησὶ κατακνῆσαι.

quid *τυρὸς* ille *Σικελικός*, si peculatus accusatus sit Laches? Scilicet sermo esse videtur de pecuniis, quas ad nautas alendos a Leontinis acceperit Laches, partim vero in suum usum converterit ac si vel milites illis donaverit, tamquam de suo illud fecerit, nec populo rationes

integras reddiderit, de qua re Cleo per Leontinorum patria pulsorum nuntios certior factus, in judicium illum vocaverit.

Pergamus ad causam, cur expeditionem in Thraciae vicinas regiones susceperit Cleo. Quam ex Thucydidis narratione facile colligi posse arbitror. Ea enim, quae per inducias gesta sunt, ejusmodi fuisse patet, ut adhibere illa potuerit Cleo ad cives, ut bellum denuo susciperent, impellendos. Pacis vero auctor Nicias erat, qui expeditionem illam, qua Menda capta, Scione oppugnari coepta erat, duxerat. Quod si Niciam belli contra Brasidam gerendi difficultates, quum pacem suaderet, enumerasse putemus, Cleoni, quippe cui post Sphacteriam expugnatam bellica arte nequaquam sese carere persuasum esset, fere id agendum erat, ut ipse civitates, quae ab Atheniensibus defecerant, debellare polliceretur.

De ipsa expeditione ac de morte Cleonis Thucydidis narrationem [1]) laudare satis esse duxi, perspicuam illam ac fide dignam; ea enim quae de Cleone in illa iniquius judicari quis credat, optime conveniunt cum ceteris, quae de illo vidimus, nec quemquam, opinor, Diodorus diversa

---

1) Lib. V, 2—13. Quo tempore pugna ad Amphipolin fuerit commissa accurate nos docet Cap. 12: *καὶ ὑπὸ τοὺς αὐτοὺς χρόνους, τοῦ θέρους τελευτῶντος, Ῥαμφίας κτλ. — ἐνδιατριβόντων δ' αὐτῶν ἔτυχεν ἡ μάχη αὕτη γενομένη καὶ τὸ θέρος ἐτελεύτα.* Sub finem igitur Boëdrominnis Attici (i. e. Septembri Juliani) Archonte Alcaeo, Ol. 89, 3, anno a. Chr. n. 422. Cf. Androtionis Fragm. 46. Schol. ad Aristoph. Nubb. vs. 549. Nihil igitur nos morentur Grammaticorum hallucinationes, qui annum hujus proelii incertum fecerunt.

tradens [1]) morabitur. Itaque nihil impedit, quominus finem disputationi meae imponam.

1) Diod. XII, 74. Cf. Scholiast. ad Aristoph. Pac. vs. 283.



TANTUM.



THESES.



I.

Μισθὸς ἐκκλησιαστικὸς post Cleonis demum aetatem institutus est.

II.

Falsa est sententia Wachsmuthii (Hellen. Alterthumsk. Vol. 1, 1), qui putat legitimum in civitate munus indicari nomine *προστὰτης τοῦ δήμου.*

III.

Perperam Wolfius ad Isocratis Areopagiticum: „Iudicia enim penes pauperes erant et quotannis Iudices mutabantur."

IV.

Perperam Schömann. (in Libr. de Comit. Athen.p. 81.) contendit, *ἰσοτελεῖς* non tantum liberos fuisse a praestandis iis, quae reliquis inquilinis imposita essent, sed aliis quoque juribus prae illis usos esse.

V.

Male Grote (History of Greece, Tom. VII.) ex Atheniensium et Meliorum colloquio Thucydidem infesti in Athenienses animi arguit.

VI.

Falsa et commenticia sunt quae narrat scholiasta ad Aristoph. Nubb. vs. 510.

VII.

Aristoph. Acharn. vs. 559:

καὶ συκοφάντης εἴ τις ἦν ὠνείδισας;

expungendus est.

VIII.

Thucyd. II, 36. *τὰ δὲ πλείω αὐτῆς αὐτοὶ ἡμεῖς οἵδε (οἱ νῦν ἔτι ὄντες) ...... ἐπηυξήσαμεν*,

dele ineptum glossema.

IX.

Ibid. *βάρβαρον ἢ Ἕλληνα πόλεμον ἐπιόντα προθύμως ἠμυνάμεθα*,

expunge *πόλεμον*.

X.

Ibid. 39. *οὔτε γὰρ Λακεδαιμόνιοι καθ' ἑκάστους, μετὰ πάντων δ' ἐς τὴν γῆν ἡμῶν στρατεύουσι*,

leg. *καθ' ἑαυτούς*.

XI.

Ibid. 40. *προδιδαχθῆναι μᾶλλον λόγῳ πρότερον ἢ ἐπὶ ἃ δεῖ ἔργῳ ἐλθεῖν*,

leg. *πρότερον ἐφ' ἃ*, deleta particula *ἤ*.

XII.

Ibid. *ἠναντιώμεθα τοῖς πολλοῖς*,

Attici dicebant *ἐνηντιώμεθα*, quod reponendum.

XIII.

Ibid. 41. *τὸν αὐτὸν ἄνδρα παρ' ἡμῶν κτέ.*

Imo vero *παρ' ἡμῖν*.

XIV.

Ibid. *οὔτε τῷ πολεμίῳ ἐπελθόντι ἀγανάκτησιν ἔχει*,

additicium est *πολεμίῳ*.

XV.

Ibid. οὐ δή τοι ἀμάρτυρόν γε τὴν δύναμιν παρασχόμενοι, οὐ δή τοι — γε Graecum non est, repone οὐ δήπου — γε.

XVI.

Ibid. 44. οὐκ ὀλοφύρομαι μᾶλλον ἢ παραμυθήσομαι, necessarium est ὀλοφυροῦμαι.

XVII.

Ibid. λύπη ὧν ἄν τις μὴ πειρασάμενος ἀγαθῶν στερίσκηται,
πειρασάμενος pro πειραθείς barbarum est. Lege πεπειραμένος.

XVIII.

Ibid. 49. ἀσθενείᾳ ἀπεφθείροντο,
Reponc tralaticium διεφθείροντο.

XIX.

Ibid. 61. μεταβολῆς μεγάλης, καὶ ταύτης ἐξ ὀλίγου,
Emenda δι' ὀλίγου.

XX.

Thuc. III, 44. ἤν τε καὶ ἔχοντές τι ξυγγνώμης εἶεν, tuemur hanc conjecturam ut legatur: ἤν τε καὶ ἔχοντάς τι ξυγγνώμης σῶσαι.

XXI.

Ibid., 52. εἰρημένον γὰρ ἦν αὐτῷ κτέ.
Spuria essc γάρ ἦν, scholion arguit.

XXII.

Ibid. τοσοῦτον μόνον,
Abiice μόνον.

XXIII.

Ibid. 59. Inepte scribitur κεκμηῶτας pro κεκμηκότας.

XXIV.

Id. IV, 25. οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ξύμμαχοι ἐς τιμωρίαν ἐπέρχονται,
spurium est ξύμμαχοι.

XXV.

Ibid. 26. ὁ χρόνος παρὰ λόγον ἐπιγιγνόμενος,
restitue ἐπιτεινόμενος.

XXVI.

Ibid. 28. τῶν Ἀθηναίων τι ὑποθορυβησάντων,
emenda ὑπό τι θορυβησάντων.

XXVII.

Ibid. ὅπως ἔτι ἐξαπαλλαγῇ,
Dele ἐξ.

XXVIII.

Ibid. 29. τὴν ἀγωγὴν διὰ τάχους ἐποιεῖτο,
Imo τὴν ἀναγωγήν.

XXIX.

Ibid. 40. οὔτε λιμῷ οὔτε ἀνάγκῃ οὐδεμιᾷ ἠξίουν τὰ ὅπλα παραδοῦναι,
Scribe τὰ ὅπλ' ἂν παραδοῦναι.

XXX.

Ibid. 41. ἐλῄζον τε τὴν Λακωνικήν,
Scribe. ἐλῄζοντο τὴν Λακωνικήν.

XXXI.

Ibid. 119. μηνὸς Γεραστίου,
Verum nomen est Γεραιστίου.

XXXII.

Id. V, 32: ἀξιούντων καὶ αἰτιωμένων Κορινθίων ξυνθέσθαι σφίσιν·
Leg. αἰτιωμένων Κορινθίων καὶ ἀξιούντων κτέ.

XXXIII.

Ibid. 35: ἐξαγαγεῖν ἐκ Πύλου Μεσσηνίους καὶ τοὺς ἄλλους Εἵλωτάς τε καὶ ὅσοι ηὐτομολήκεσαν ἐκ τῆς Λακωνικῆς·
Leg. ...... Μεσσηνίους τε καὶ τοὺς ἄλλους ὅσοι κτέ.

XXXIV.

Id. VI, 5: *Καὶ τὴν πόλιν αὐτοῖς ξυμμίκτων ἀνθρώπων οἰκίσας.*

Leg. *Καὶ τὴν πόλιν αὐτὸς ξυμμ. κτέ.*

XXXV.

Ibid. 33: *Οὐθ' ὅτι μεγάλῳ στόλῳ ἐπέρχονται, ἀνωφελεῖς, ἀλλὰ πρός τε τοὺς ἄλλους Σικελιώτας πολὺ ἄμεινον.*

Leg. *Οὐθ' ὅτι μεγάλῳ στόλῳ ἐπέρχονται, ἀνωφελές, κτέ.*

XXXVI.

Ibid. 55: *Οὐδὲ τοῦτο ἀπεοικότως διὰ τὸ πρεσβεύειν τε ἀπ' αὐτοῦ καὶ τυραννεῦσαι.*

Leg. ...... *διὰ τὸ πρεσβεύειν καὶ ἀπ' αὐτοῦ καὶ τυραννεῦσαι.*

XXXVII.

Isocrat. Panegyr. (Edit. Stereot. Tom. I. p. 46): *ὅσοι μὲν εὐθὺς ἐπελθόντας διδάσκουσιν,*
Leg: *ὅσοι μὲν εὐθὺς παρελθόντες διδάσκουσιν,*
Ibid. p. 60: *ὕςατον ἐπελθόντα λέγειν*: leg. *ὕςατον παρελθόντα λέγειν.*

XXXVIII.

Id. ib. p. 57: *Καὶ τότ' ἦσαν μέγισται, καὶ νῦν ἔτι διατελοῦσιν.*

Leg.: . . . . *διατελοῦσιν οὖσαι.*

XXXIX.

Id. ib. p. 62: *ἐπαινεῖν τοὺς ὑπερβεβηκότας τὰς τῶν ἄλλων ἀρετάς,*

Leg: . . . . *τοὺς ὑπερβεβληκότας τὰς κτέ.*

XL.

Id. Areopagit. § 17: *μεγαλοφρονεῖν εἰθισμένους.*
Leg: *μέγα φρονεῖν εἰθισμένους.*

XLI.

Id. ib. § 18: *ἐθεώρουν τὸν βίον τὸν ἑκάστου.*
Leg: *ἐφεώρων τὸν κτέ.*

XLII.

Pseud. Plutarch. in Vita Lysiae: *ἐσὶ δ'αὐτοῦ κτέ.*
Leg.: *εἰσὶ δ'αὐτοῦ καὶ οὓς ἐς τὴν πολιτείαν αὐτὸς παρῆλθεν ἔχων, ὅ τε ὑπὲρ τοῦ ψηφίσματος, ὃ ἐγράψατο Ἀρχῖνος, καὶ κατὰ τῶν λ' ἕτερος.*

XLIII.

In Iliad. B. vs. 218.

τὼ δέ οἱ ὤμω
κυρτὼ ἐπὶ στῆθος συνοχωκότε,

Nihili est *συνοχωκότε* et olim obtemperatum oportuit Valckenaerio ad Ammonium *συνοκωχότε* ex analogia et Hesychio reponere jubenti.

XLIV.

Livius VI, 4: agerque *iis* novis civibus assignatus
Eiice *iis.*

XLV.

Id. VI, 30: Quae ubi Romam sunt *relata.*
Leg: . . . . *perlata.*

XLVI.

Ibid. 31: ne quis quoad *bellatum* esset.
Leg: . . . . *debellatum* esset.

XLVII.

Id. VII, 50. Sicut *coepta* celerius.
Leg: Sicut *accepta* celerius.

XLVIII.

Id. VIII, 10. Dele: *Sicuti Decius devovit.*

XLIX.

Id. IX, 8: Solemnibusque *Senatusconsultis* perfectis.
Expunge *Senatusconsultis.*

L.

Cicero de Republ. I, 31: et quae ipsi non habent *unde* alii petunt.
Leg. *inde* alii petunt.

